Felicitas Ultimi Sæculi:

Epiſtola

IN QUA, INTER ALIA, CALAmitoſus ævi præſentis ſtatus ſeriò deploratur, certa felicioris poſthac ſpes oſtenditur, & ad promovendum publicum Eccleſiæ & Rei literariæ bonum omnes excitantur:

In gratiam Amici cujuſdam paulo ante obitum,

Scripta à Reverendo Viro

JOHANNE STOUGHTONO,

SS. Theol. Doctore,

Coll. Emanuel. Cantabr. olim ſocio, poſtea, Eccleſ. Aldermanburienſis Londini, Paſtore digniſſimo:

Nunc, poſt deceſſum ejus ad fidem autographi, publici juris facta

à

S. H.

LONDINI,

Typis *Richardi Hodgkinſon*, impenſis *Danielis Frere* habitantis in Parva Britannia, ad inſigne Tauri rubri.

Anno MDCXL.

Illuſtriſſimo & Celſiſſimo Principi ac Domino. D. Georgio Rakoci,

Principi Tranſylvaniæ, partium regni Hungariæ Domino, & Siculorum Comiti &c.

Heroi pio, prudenti, forti, felici, pietatis, ſapientiæ & literarum Amatori, Protectori & Propagatori incomparabili,

Poſthumum hoc Opuſculum

Viri

Pietate, Doctrina, bene de omnibus merendi Studio inter ſuos celeberrimi,

Totque ac tam inſignium in Principali illo faſtigio virtutum, ut Admiratoris, ita Laudatoris candidiſſimi,

Teſtandæ ſuæ,

Cum in Amicum defunctum pietati, Tum vel in primis officioſæ, in tam late fulgens, Vivum, Neſtoreiſque annis digniſſimum Europæ noſtræ Sydus, reverentiæ,

Dedicat Conſecratque

Fauſtaque Eidem omnia, non minus calido voto, quam ipſe ſentet in hoc ſcripto ὁ μακαρίτης, comprocatur.

Samuel Hartlibius.

Illustrissimo & Celsissimo Prin-

cipi ac Domino,

D. GEORGIO RAKOCI,

Samuel Hartlibius
BENIGNO LECTORI
salutem dicit.

INter complurium hujus loci carissimorum amicorum immaturos obitus, nullius propè acerbior mihi accidit quam *Reverendi Stoughtoni*, in ipso ætatis vigore paucis abhinc mensibus extincti. Summo ejus amore pariter & veneratione me impleverat, præter alias raras ingenii & doctrinæ dotes eruditus & alacer ejus non sibi & suis tantùm intentus, sed ad totius quodammodo Ecclesiæ Christianæ reique literariæ salutem expansus animus: quem quidem in vastam adeo curam non aliqua laxabat πολυπραγμοσυνη, sed vera illa potius φιλανθρωπια, quæ, ex monito Apostoli, non quæ sua sed quæ proximi sunt, quærit. Bonis enim malisque publicis haud aliter afficiebatur, quam reliquorum constitutione affici solet, quodlibet in corpore humano membrum. Novi roboris quippiam, mystico illi corpori

pori accedebat? plus quam propria prosperitate lætabatur. Nova aliqua clades inflicta erat? acrius quam domesticis angebatur malis. Ubi verò auxilium quoque ejus necessitates alienæ flagitarent, dici non potest, quam alacritatem eas sublevandi, quem ardorem ostenderit, veluti cardine muneris sui in hoc collocato, ut & quamplurimis prodesset ipse, & in idem studium alios, quà voce quà exemplo concitaret. Quos, si semel iterumque monitos rogatosque remissiores nihilo minus in eo observaret, minimè id ut rem leviculam animo dimittebat: Quin immo non sine gemitu, paucis ante obitum diebus, questus mihi est, nulla re, jam ab aliquot annis vexatũ æque & quodammodo exesum fuisse spiritũ suum, quam, quod privatorum commodorum nimis studiosos, publicorum, ad stuporem usque negligentes comperisset etiam eorum plurimos: In curiæ vero huic suæ minime prætexere potuissent, qui magnam alioqui pietatis speciem præ se tulissent opum egestatem. Justam enim exinde causam sibi natam dubitandi de professionis plurimorum sinceritate, justumque insuper incessisse metum, ne illud caritatis inter Christianos frigus opinione celerius & vehementius incendat iram Dei. Hujus præclari animi ejus, quem toto vitæ cursu mirifice expressit, testimonium ad posteros non leve feret præsens hoc opusculum: quod in gratiam Doctissimi & tibi carissimi cujusdam Hungari, nomine *Tolnei*, patriam repetituri, primo cæptum, & paucis paginis absolutum, postea, revocatus ad ulteriorem commẽtationem argumenti suavitate, multis partibus auctius reddidit, morbo vero letali paulo post oppressus, fidei meę concredidit, & si forsan communicari id secum alii cuperent, à nullo alio quam à me id publicari voluit. Ac mihi quidem nihil majori fuisset curæ, quam ultimæ tanti Amici voluntati, quã religiosissime morem gerere, nisi proposito isti & cupiditati meæ alius quispiam prævertisset. Nam dum multorum impulsus precibus, in hisce cogitationibus versor, ecce ex improviso, Bibliopola,

pror-

prorſus antea mihi ignotus me convenit, an in lucem dare ſcriptum illud conſtituiſſem rogat: cum annuiſſem, penes ſe quoque ejus, ait, exemplar eſſe, ejuſque imprimendi poteſtatem à librorum Cenſoribus ſibi jam factam, reliquiſque adeo omnibus (vi ſcilicet privilegii, Bibliopolis hujus loci omnibus conceſſi) ademptam. Se proinde, editionem ejus illicò adornaturum, ſummi vero beneficii loco habiturum ſi quid circa eam monendum haberem. Quanquam iſto ejus cæpto non parum commoverer, infinitiſque pene negotiis aliis diſtringerer; quia tamen ferendum eſſe cernerem, quod mutari non poſſet & voluntati Authoris τῷ μαθεῖν ſatisfactum nihilo minus magnopere cuperem, quod in tantis deprehenſus anguſtiis potui, feci. Dedi Bibliopolæ autographum ipſum, juſſique cum ſuo exemplari id quam diligentiſſime comparare, expoſitis ſimul, quæ in editione, præcipue exiſtimarem obſervanda, denique ultimæ correctionis laborem mihi depopoſci. Sed, cum nec novum prorſus exemplar impreſſioni accommodatum, per occupationum aliarum multitudinem conficere, nec prælo ſubinde aſſidere liceret, omnibus meis monitis & inculcationibus cavere non potui, quo minus (ut de aliis non dicam,) hic in excudendo ſane non levis error committeretur. Impenderat Author ſcriptioni huic non parum induſtriæ operamque inprimis dederat, ut materiam, magna ſui parte per ſe minus gratam, inſignibus quibuſdam verborum & ſententiarum luminibus lectori commendaret, adeo quidem, ut amicis quibuſdam videretur in ornatu iſto pene modum exceſſiſſe: Quo facilius igitur in oculos omnium incurrerent ἐμφατικώτερα, peculiari typorum genere exprimi eà voluit, quæ & ob eã cauſam in manu-ſcripto partim literis tantum initialibus majuſculis, partim ipſa literarum diverſitate, à reliquo contextu ſatis accurate diſtinxit. Id vero, cum forſan ex Bibliopolæ relatione non ſatis caperent operæ, nec operoſe deeo inquirere tanti ducerent, diſcrimen hoc minime obſervatum eſt, ſed cuncta eo plane modo quo

auto-

autographum ea exhibuit expressa. Prima statim plâ-
ura conspecta, non omiseram castigare hanc negligen-
tiam, sed in secunda longe major apparuit. Ut tandem,
cum, & Typographo tantam erratorum multitudinem
corrigere gravante, nec ipsomet Bibliopola cui in festi-
natione omnia sita erant, facile patiente editionem hoc
pacto procrastinari, nullum cernerem reliquum moni-
tis meis locum, cedere sim coactus voluntati eorum, qui
fidem in excudendo, quam judicium ostendere malue-
runt. Quod, ut hic indicarem, Authoris & mea in-
teresse arbitratus sum, ne quis insolita illa per totum
scriptum characterum inæqualitate offensus, alienam
culpam, alterutri nostrum assignaret, simul, ut in se-
quenti editione error iste tanto melius posset emendari.
Bondini, Anno 1639. 12 *Cal. Nov.*

Domino
TOLNEIO Hungaro-
Tranſylvano,
Salutes omnes, Romanam
Ὑγιαίνειν, unà cum Græca χαίρειν:
Philoſophicam εὐπατεῖν, cum
Chriſtiana εὐδαιμονεῖν, ſive
ſtylo potius Apoſtolico
χάριν καὶ εἰρήνην.

SEdet æternumque ſedebit animo, penitus penituſq; Clavo quaſi Trabali fixa memoria ſuaviſſimæ conſuetudinis, quæ mihi tecum interceſſit, apud nos annos jam aliquot agente, ſtudiorum cauſa, virorum optime

Tolnêic: *intelligo te patriam cogitare: nisi res angusta domi nobis obstaret, quò fortunæ tenuis, quà ingenii magis, nunquam discederes à nobis vacuus sine viatico, vel auxilii necessario, vel etiam Consilii honorario: libet saltem, neque id eripiet tibi tenuitas mea, vel fortunæ, vel ingenii, quem sancto nomine pietatis, & sacris auspiciis, unicè devinctus, apud nos hærentem meritò dilexerim, ejusdem soli nutui pietatis, & summis imperiis obstrictum, ad tuos modò redeuntem quà amica compellatione, quà fausta comprecatione prosequi.*

Non me latet quem participem esse consilij tui, conscium arcani voluisti, non per adulteratam cla-

vem Callidi, vel importunam vim Cynici Θυρεωρυχίαν parùm modestè referati, non per rimam semihiulcam oris Ἀγγελώους temerè proditi, sed per apertam fenestram chrystallini pectoris ingenuè concrediti; non me latet genuina tua pietas & generosa: non niveus candor simulque ardor igneus animi tui, quo totus Christum spiras, Cœlum cogitas: scio quàm candide sentias de pietate nostratium, quàm avidè sitias profectum tuorum: quàm vacuus tui patriam aditurus sis, quàm plenus Dei: quàm possis oculo irretorto respicere & despicere picta mundi hujus ludibria, manuque non retracta inhærere aratro Christi, ut pulchra regni

cœleſtis pomœria proferre poſſis.

Nimirum hunc ſpiritum afflavit, hanc ſanctam ambitionem inſinuare voluit Apoſtolis ſuis Servator noſter, cùm jam migraret in cœlum ipſe, legaret illos in mundum. Omnis poteſtas mihi data eſt in cœlo & in terra: *fortaſſe vos qui hæſiſtis lateri meo in ignobili curriculo vitæ, expectatis amplos honores, celſas præfecturas in hoc novo regno gloriæ, accipite quales*, Ite & prædicate Evangelium omni creaturæ: *Hic pontificalis apex honoris, hæc ſumma dignitas, hoc apoſtolicum decus:* Inveniat me ſtantem Chriſtus & prædicantem, *Votum erat huic canoni conſanguineum gemmæ theologorum Juelli noſtri,*

noſtri, cui liceat apponere præclarum illud etiam Servatoris elogium, Beatus ſervus ille quem cùm venerit Dominus, invenerit ita facientem: *Hæc premite quà licet veſtigia ſacra* Theologi Crucis, *vos petite ſi lubet alta faſtigia* Theologi gloriæ. *Sed quod illuſtris ille Mirandulæ Comes (Joannes intelligo Picus) aquila perſpicax non loquax Picus, Imperator eruditorum potius quàm Comes, et ſuæ penè miraculum ingens ætatis, imminentibus mi aſpirare vellet ad Galerum Cardinalis, & ambire ſtudioſus, illo, ſine dubio decorandus, illumque vicißim decoraturus, tantúmque non increpantibus amicis ignaviam veternumque, viri, vel ignorantiam*

rantiam neglectumque ſui, qui tanta claritate natalium, tanta celebritate literarum, tanto ſplendore famæ & familiæ, generis & nominis, ineptè pergeret in obſcuræ vitæ tenebris, ſeque ſuæque decora virtutis omnia ſepelire, divinè reſpondit ſuis, ex Propheta quidem, ſed in perſona Domini; Cogitationes meæ non ſunt cogitationes veſtræ, *& quanquam petere poſſet ampliſſimos honores unicè ſecurus, ut* candidatus Cæſaris, *contemnere maluit excelſa mundi heroicè magnanimus, ut* Chriſti candidatus & æternitatis; *utinam cogitarent illi, qui ſeduli bombyces aliquando degenerant in inertes papiliones ut picti volitent, & aranearum*

 inſtar,

instar, ut contexant inania fila quibus in alto pendeant, intima non parcunt exhaurire viscera: quibus recolere tamen fortasse profuerit fulmen illud propheticum in Shebnam (*magnum aulæ magistrum sub bono Rege Judæorum* Hezekia *multa sibi præclara minitantem & longa scilicet halcyonia*) *vibratum,* Coronans coronabit te tribulatione Dominus,& erit currus gloriæ tuæ ignominia domus Domini tui, *ut in eo tanquam in speculo claro vel ænigmate certè non obscuro conditionem suam recognoscant.*

Sed nimis importune sentio me vel instruere oculatam prudentiam, vel acuere alatam diligentiam simulque onerare probatam satis

mihi certis experimentis modeſtiam tuam, dum ſive meritum & virtutem tuam, ſive amicitiam meam & judicium ornare ſatago: macte vero virtute iſta, iſta integritate ſis, atque ut ſis compos voti cujus Damnas es pro Chriſto penè impos animi, concedat tibi Deus adventum patriæ felicem, atque in ea proventum operæ feliciorem. Et quidni audeam tibi hoc ſpondere? audeo verò mi Tolnoie & ſpondeo, neque hoc opinor temerè: reſpondere mihi velle videntur & à ſponſionis noxa ſecurum præſtare, quaſi interpoſita fide ſua, non tantum maligne micantes ignes, humanæ intelligo prudentiæ præſagia, quæ teneo ſuppreſſa fideliter animo, ſed etiam

benignè

benignè radiantes orbes divinæ dico & providentiæ ſignata veſtigia fortiter impreſſa mundo, & feliciter expreſſa verbo prophetiæ myſteria reſignata: Quæ ſi ego legam rudis nempe ſpectator non elegans, caligantibus ad modicam lucem oculis in tenebris nullis, brutum animal & vel ipſo meridie cæcutiens talpa, cui obtuſum pectus hebeſque ſenſus, quem niſi grandiuſculus ſtylus et characteres majuſculi non feriant: quid illi non ex eis intelligant lyncei, ſublimes aquilæ, divinæ animæ, Mercuriales Dei Interpretes, quibus ingenia vivida, judicia ſubacta, quibus acuta acies, oculique (quod de Tiberio refert hiſtoria) vel in tenebris micantes, et verbo Ciceronis,

ronis, *eruditi: quibus critica sensoria super, insuper etiam optica & optima variæ literaturæ quasi perspicilla, quibus vel obscurissimorum apicum minutias assequi, quibus diem vel per tenuem rimam facile videre, quod est in nostrati proverbio, quibus* ἀσκαρδαμυκτὶ *vel ipsum solem intueri possint.*

Video quidem ægris oculis, ægro animo & sentio, sentio tenerrimis affectibus, intimis medullis, neque enim mihi cornea fibra, neque ferrea præcordia, non obtusa adeo gestamus pectora mortalium licet ultimi Britanni, *video* caniculam persecutionis, *verbum est* Tertulliani, *quæ nunc torret ecclesiam Dei: cujus æstu afflatæ*

languent

languent ubique omnes; inebrietatæ non dulcedine vini sed amaritudine absynthii, non lætitia repletæ, sed excandescentia. Militat armis obsessa Belgia: laborat præsidiis nudata Gallia: jacet oppleta sordibus pacis Britannia: latet accisa viribus belli Dania: Nutat etiam victoriis exhausta Suetia (atque hæ partes magis integræ) sed quo velo tegam vos ô lassæ Ἀλγηδόνες ὀφθαλμῶν, *Cordolia nostra, vel quo cœlo sculpam, quove pingam penicillo? Luget orbata civibus Bohemia vidua: tacet afflicta contagiis Hungaria vicina; riget tantùm non attrita miseriis Germania vasta: stupetque non intacta flagellis Europa universa, vel furore*

mali

mali vel formidine certè non intacta. Et quem non tangat pium tam lata strages hominum? tam luctuosa facies rerum? tam fœda labes temporum? Quis non illachrymet in scena, nedum in vitâ spectator, nedum pars magna tragœdiæ tam diuturnæ, tam cruentæ, vel sanguinis imbre concoloris? Quis non ingemiscat, imo de corde trahens alta suspiria?

Sed nimirum Sol noster Christus in Leone *fervidior urit adulta nostra flagitia, coquit cruda nimis officia, corrigit crebra delicta, non Aqua, Vitæ, Forti, sed (exigente hoc ægri deplorato statu exploratoque discrimine) vehementiore flamma, atque ita fas sit interpretari vividiore spiritu gratiæ:*

tiæ: jam jam affulsurus in virgine *candidior, in qua scilicet olim carnem sibi despondens nostram felici conjugio sociavit, et nostro nomine respondens patri debitum dispunxit omne Nobili Sacrificio Mortis, detemque integram gratiæ simul et gloriæ pro nobis, humili obsequio vitæ numeravit: mox æquior etiam redituras in* Libra, *mundumque judicaturus.*

Pascit se animus spe & in illa cogitatione reflorescit, qua vel eminus prospicere datur oculo fidei, ruentis in illa Lance Justitiæ *Babylonis ultimum incendium stylo ferreo scriptum & Molari lapide in mare projecto obsignatum: eademque Phiala & Fidelia* Millennium Optimum,

resur-

resurgentis in illa Luce Gloriæ *Sionis, aureo descriptæ calamo nulloque non lapide pretioso ve ornatæ, vel munitæ, votisque pi orum omnium flagrantissimis ex optatissimum. O quàm aurea tun instat Messis! quàm verè gem mea restat vindemia! quam Lau tiæ & triumphales epulæ, sive Bestiæ funebres, sive Agni nup tiales! quam divina musica Cho ri cœlestis universi, respondente ex adverso terrestris ejulatu, at que illius insimtam dulcedinem mirifica mellitissimaque varietate quasi condiente, celebratæ! Ne scio an suavius audiam, pulsante vindicta justitiæ lupos ululantes, an agni satellites individuos, per actis vindiciis gratiæ non jam*

Concentu

Concentu Citharārum ad mare vitreum, ſed concurſu velut & harmonia ſphærarum omnium, ſed accentu Angelorum, ad Cœlum Empyreum uſque modulantes. Si obliviſcar tui, O Jeruſalem, hæreat faucibus lingua, ſtupeat artubus dextra, deficiat in penetralibus anima, ſi non in capite poſuerim meorum ſummam & coronam gaudiorum. O ſancta Domini mei & beata ſponſa, cujus amplitudinem ſuſpicio verè catholicam, verèq; divinam pulchritudinem veneror ſilentio, ſi mihi liceret eſſe tam beato, quàm totus aſſurgerem, & me immergerem ruens in Amplexum *tui? quàm lætus accurrerem in* Occurſum *tui, & me provolverem*

lubens

lubens ut attingerem vel extrema linea, vel fimbriam veſtimenti tui, vel etiam veſtigia pedum tuorum, pulveremque ipſum mihi ſacrum lingerem? quam gratus vel impenderem meipſum & redimerem vel mille mortibus Intuitum *vel unicum tui? ô ſi ſit illa vitæ felix Clauſula & Corona meæ!*

Hæc hæc eſt illa ne neſcias, amice, perfecta mundi periodus, in qua conveniet plena Synodus hominum & bonorum omnium, quæ perpetuò quaſi divortio vaſti Chaſmatis infauſtique ſchiſmatis hactenus direpta dominante lite, deinceps æternum tenebit matrimonii felicis irrupta copula, non malis divulſa querimoniis, non

frivolis

frivolis distracta ceremoniis auspiciis amicitiæ reconciliata nec unquam labefactanda: in qua cumulatissimæ felicitatis omnia stillicidia nedum rivuli omnes, in unum ingentem alveum collecti coëant, exoneraturi se tandem in immensum Oceanum & abyssum scilicet æternitatis.

O quam candida facies veritatis se unà aperiet, mundo, sine velo, sine maculis, quàm plenè eburnea! quam recta species sanctitatis exhibebit se oculo sine nævo, sine rugis, & quàm purè crystallina! quàm longa series & tanquam acies juventutis, explicabit se in illo Campo Elysio, sub vexillis, quàm planè plusquam aurea! quam integre

venusta *vel elegantissimis formarum spectatoribus eris, ô Ecclesia Christi, quàm* formosa tota *numerisque omnibus ad Archetypam scilicet Ideam Pulchritudinis absoluta!*

Fuit Ecclesia quidem Primitiva *sub* Sigillis *Mulier amicta Sole, cujus sub pedibus erat Luna, & in Capite Corona Stellarũ duodecim, Apostolica tota, quanta quanta Divina tota, omni Decore Cœlesti formosa, sed Terrena Fœlicitate nondum* Dotata, *qua carere tamen non potuit, quæ conculcare potuit et maluit: cui Draco Rufus in Insidiis tanquã Leo* ὠρυομενος *obstetrix ebria Sanguine; sed in Subsidiis Michael invictus vindex:* Idem que Leo de tribu

Juda

Juda ὁ ῥυόμενος. *Puerpera parturiens Filiũ masculũ, sed non affixa lecto, fugiens alis Aquilæ in Eremum: verbo* Gemma *scilicet in* Luto *hostiliter perdita.*

Subiit Ecclesia Possessiva *sub* Tubis, *de qua signanter Hieronymus, opibus major,* Virtutibus *minor, atque illud Anonymi veteris usurpari posset eleganter, non potuit Pulchram, pinxit Divitem,* Mulier amicta purpura & Cocco, inaurata auro & Margaritis, φατῖα ἀντὶ περιστερᾶς φασὶν ἀντὶ Νύμφης ἑταίρα. *Dote locupletata satis, at Dignitate pristina nudata prorsus: Sede Celsa in* Septenis Montibus, Fide *sublesta, sordidisque Moribus: Inequitans Bestiam & Arietans*

Agnum; *de qua*, Religio *peperit* Divitias, & Filia matrem *devoravit*, *erat* Vox Populi; *& Hodie venenum effusum est in Ecclesias, è Cœlo, quasi* Vox Dei; *verbo* Gemma *iterum in* Porco, *turpiter proditu.*

Restat Ecclesia Successiva *sub* Phialis *tertia, de Cœlo* Mulier, Agni Sponsa, Nova Hierusalem, *summa laude Pudicitiæ nobilis, nulla labe Formæ: pulchra tota, tota pretiosa Cœlesti Influentia beata unicè, eademque Terrestri Affluentia cumulatissima: utrisque scilicet inter se magna contentione certantibus, illamque mutua quasi conspiratione Perfectione suprema coronantibus: ita tamen ut* Magnifica

sit

ſit Deo potius quàm Templo, *ſplendeatque, quod dici ſolet, viri radiis Coruſcare Mulieres, ornata Marito magis quàm Margaritis;* Uno *quam* Omnibus Unionibus: *neque Stigmata Meretricii quæſtus in Fronte præferat Elata Cornua Potentiæ, ſed habeat in Penetralibus abditum (eundem* Deum maritum) *quaſi Sponſalia Dona, Cornucopiæ: verbo* Gemma tandem *in* Auro *feliciter poſita.*

Atque hiſce quidem vicibus alternis, Gradibuſque, quaſi ſubalternis Eccleſia ſurgit ad Angulum Pulchritudinis ſuæ, cui liceat illud apprecari, Candidior ſemper Candidiorque Veni: paribuſque fere pergit Incrementis ad Σταυ-

μλὼ Amplitudinis: cum illud de Ecclesia sua Deo visum. Certum est in Sylvis inter spelæa Ferarum velle pati hoc quidem primò, deinde verò, teneriſque meos incidere Amores, -- Arboribus crescent illæ, crescetis Amores, itaque fas sit ominari. Observat hoc, ante me, ni fallor Epiphanius, insinuat saltem, cùm Ecclesiam πλοίῳ δίκλω hac opinor Imagine constructam innuit, cujus subsidit primò Carina contractior, assurgit verò Lateribus eadem porrectior, exit porrò Tabulatis adhuc spatiosior.

Nimirum latuit olim sub Patriarchis Puella tenera, privatis unius Familiæ parietibus inclusa: Prodiit Adulta Virgo sub

Pædagogis, in lucem & latitudinem Reipublicæ, ſed intra Cancellos unius Gentis in Peculium adſcitæ circumſcripta, Sepeque Legis armata, Ceremoniarú ſentibus acutis & aſperiore jugo diſciplinæ coercentis à reliquo orbe diſcluſa. Perrexit adhuc Matura Viro *ſub Apoſtolis, & ſe per ampla totius* Mundi *ſpatia diffuſa porrexit, interea tamen expulſa Peculiari Gente Iſraelis, & tantum non Exturbata Libello Repudii veloque adhuc manente viduitatis ſuæ tantum non Excluſa: Quam Perfecta tandem Noviſſimo quod jam inſtat Sæculo Mundi, ultimoque quod unum reſtat Incremento ſui, ſub Ipſo Sponſo & Peractis Nuptiis in*

idem Ovile recolliget, & præsentiore Gratia complexa Spontaneis in Obsequium Dilectæ nobile Demissis Gentibus, iisdemq; simultaneis, in ejusdem Gloriosæ Consortium felix Admissis, debitos diu Fines Amplitudinis attinget: diuque desideratum Florem Pulchritudinis, *Pota nectare ad sanctam usque Crapulam, Verbi Divini Viva voce prædicati Rivis Chrystallinis è medio Throni non tantùm è Centro Cœli perenne fluentibus: Pasta Ambrosia, ad sanctam usque Saginam Verbi Sacramentis obsignati Fructibus Menstruis, Arboris Vitæ in medio Paradisi non tantùm Cœli solenne florentibus: vestita perpetua Juventâ velut Immortalitate ad*

ſanctam uſque luxuriam, & Panaceæ Foliis verbi divini ſcriptis propagati Vitalibus, ad Sanitatem omnium vel deploratiſſimæ ſpei Gentium, vel diſſitiſſimis in Regionibus apud ultimos Antipodas Hominum & Religionis agentium, efficaciſſimis: adeoque ditata Civibus innumeris, & ſupra quam quis vel ſperare audeat vel optare, beata ſingulis omnibuſque Beatiſſima.

Neque me terret ut μορμολυνεία puerum miſerrima præſentis Sæculi Facies: cum ſingulæ Periodi Rerum ut Annorum habeant itidem Solſtitia bina: Altiſſimus ab Æſtivo Sol declinat & vergit, ad Interiorem Circulum, Breviſſimus ab Hiberno redit in

apertiorem

apertiorem Campum: & nos vidimus ingens Augmentum Lucis in illa Beata Aurora, non tantum Muſis amica, ſed etiam Gratiis, Illa, qua pulſis Exterminatricis Ægypti Tenebris, vel in Ægyptum ſuam relegatis, & fulgente ſaltem in Evangelica Goſhen aurea Luce Diſcriminatrice cœpit evigilare Mundus melior ad ſe divina quaſi Virgula revocatus, ex alto Lethæoque Somno Superſtitionis, in quo Circæo Poculo, ſævaque nec minus Imperioſa Virga Superbæ Meretricis Incantatus, aureæ cruſtæ ſplendore juvante Fallaciam, per tot annorum Centurias ſepultus obrutuſque jacuerat penè totus: Vidimus inquam Ingens Augmentum

mentum lucis in illa παλιγγενεσία *primaque Reformatione, datis etiam quasi in dotem Religioni Renascenti Literis universis, ad Æstivum, quod etiam prætervecti sumus usque Solstitium quotidie crescentibus -- Hinc fluere et retro sublapsa referri, Res nostra visa, præcipite scilicet in Hibernum suum Sole nostro sub quo dies hodierna nobis contractior: ubi tamen in Crepidine sæculi ferè novi positi, nova Lucis Incrementa. Novamque quod etiam singulis quasi consuetudinarium Philosophus observat, expectamus* ἐπίδοσιν, *& cæteris hactenus Angustiorem repetentibus unà Situm Statumque primævæ Perfectionis, ut in Anno Magno*

Platonis

Platonis & vero Stellis universis. Et Matutinum hoc Crepusculum cujus in ipso pene summo opinor Articulo, quod fieri amat, ad Interstitium breve nigricat horrore Tenebrarum, sed erit Honore Lucis Novæ lætissimum, & mox orituri Solis æterni Prodromum.

Nocte pluit tota, redeunt spectacula Mane.

Æquatum Imperium cum Patre Christus habet.

Vidisti si forte delicatum Florem, Æstu hesterno languidu, Stilla nocturni roris ebrium madidumque, capite in se reflexo curvatu & in terram inclinato defixu, Ipse suos gemitus foliis depingit & ai, ai Flos habet inscriptu — revisit ita

jacentem

jacentem aureus Sol, & ex ægritudine ſua quaſi decumbentem recreat. Aſpectu benigno ſub onere, quaſi Lachrymarum ſuarum fatiſcentem, decoquit humorem gravem, & radiis abſtergit ſalutaribus erigitque auctum non veſte nova, ſed virtute; nec colore tantum Pulchritudinis, ſed etiam Odore Suavitatis,

--Inſcripti nomina Regum
Naſcuntur Flores :--

Flos iſte vivum Hieroglyphicum Eccleſiæ ſi neſcis hodiernæ, quæ hoc triſti Veſpere decumbit Affa Flammis, Cocta lachrymis, in terram dejecta, adeoque in ſe deſcendere coacta, Scrutinio vitæ, Recognitione vitiorum: qua defuncta Proximo Felice Mane, reſecta

ta Benignitatis divinæ Radiis, assurget exculta virtutibus, defæcata vitiis, læta novis Incrementis Honoris. Vespertina cognitio Dei nube miseriæ gravata ob crimen humanæ Fragilitatis, in hac valle lachrymarum caligat nimis: Matutina lumine Gloriæ, in culmen Divinæ Felicitatis elevata, clarescet satis: In Monte *beneficè* Videbit Deus, *& Beatificè* Videbitur.

Nubecula est, aiebat magnus Athanasius de Tempestate Juliani, qua nec Atra magis affulsit Ecclesiæ, nec afflixit Atrocior, imò Nubecula est & evanescet: Durate, & Rebus vosmet servate secundis: Quando Duplicantur Lateres, venit Moses, *aiunt*

aiunt Rabbini: Populus Romanus ſæpe Prælio victus eſt, at Bello nunquam, in quo ſunt omnia, nedum Chriſtianus: Bono animo eſto, Gubernatori meticuloſo dixit Imperator magnanimus intempeſto Cœlo ſævientem Rubiconem trajecturus, Bono Animo eſto, Cæſarem *vehis, &* Fortunas Cæſaris; *imò Chriſti dicam ego Eccleſiæ: de qua ſuaviſſimum eſt illud Auguſtini, quia* Fluctus inſurgunt, poteſt iſta Navicula Turbari; ſed quia Chriſtus orat, non poteſt mergi. Ἀσκὸν βαπτίσαι, δῦναι δέ τοι οὐ θεμὶς ἐστι. *Bono animo eſto quiſquis es, ô Chriſtiane, fueriſq; certè* magno, *ſi præſtiteris ut Bono: Circumſpice Pericula curioſus, ſed impavidus,*

vidus, ſed & ſuſpice Præſidia tua Fidelis & magnanimus. Eadem manus quæ Cœlum fecit, Eccleſiam fulcit omnipotens ſuam: *Ride circum latrantes impetu fracto gubernaculum tuũ Vortices & Serpentes obtrito capite Calcaneum tuũ mordentes, ut Capram vitis in Epigrammate.*

Κἂν μὲ φάγῃς ἐπὶ ῥίζαν, ὅμως ἔτι καρποφορήσω,
Ὅσον ἐπισπεῖσαι Σοὶ Τράγε θυομένῳ.

Exercuerunt hactenus oculum tuum Cœleſtia φαινόμενα Juſtitiæ de Cœlo *proſpectantis, alta contemplatione ſui defixum, & nimia quaſi luce reverberatum obrutumque nimis diu fortaſſe fatigarunt: revocare jam ſi placet,*

ad

ad Conſpectum Veritatis è Terra *pariter* Emergentis, & *Spectaculi magis ad infirmitatem noſtram ſe demittentis apta contemperatione ſi forte, recreare cupio: faciamque ut* obvient Sibi *mutuis Amplexibus implicatæ, non minùs in oratione mea, quàm Prophetica, tanquam Artifice Machina deductæ,* Miſericordia & Veritas, *animum famelicum paſcentes ſimul, & Parcentes oculo teneriori.*

Quid tibi ego ſcienti commemorem, ut taceam innumeros in eodem Erudito Pulvere ſudantes, vel ſancta Conamina Duræi *noſtri? vel Alta Molimina penè veſtri* Comenii? *vel Fauſta, hoc in genere, Auſpicia, noſtri pri-*

dem, ſed tandem Mundi, quicquid eſt elegantioris, Nobiliſſimi certè Verulamii ? *Qui, ſumpto Mercurii Caduceo, pugnantes in Rixarum Ludo, recolligere Eccleſias ; qui, tradito Ariadnes Filo, palantes in Nugarum Labyrintho Peripatetico, regere & refingere Scholas, quî, temperato Peliæ Balneo, delirantes Ingeniorum Senio quodam, vel morbo dicam vel otii Veterno, recoquere Diſciplinas, univerſi ſingulas & Singuli ſatagunt Univerſas : Quorum* Hic, *& olim ſupra Ambitum Vitæ poſitus, ſuprà Strepitum Curiæ, & nunc ſuprà Faſcinum Invidiæ, totum ſe vindicarit totius Orbis Bono Publico, Exorſus à Conſilio de proferendis*

dis Imperii Rationalis Finibus, per Augmenta Scientiarum: Inſtaurationem Magnam meditatus; Commentus Organum Novum, ut reliqua præteream Sublimis Ingenii Monumenta minutiora, digniſſima quæ vel in Arce Minervæ collocentur Singula, quibus, vel Patefecerit Arcana Naturæ Nova, quà Documentis Luciferis, quà Experimentis Fructiferis, vel generoſos in divinioribus animis Igniculos Gloriæ, ſopitos, ad Inventa Scientiarum perficienda, ad Deſiderata perſequenda, curioſa Multorum Indagine, Magnorumque felicibus Operis, Expergefecerit: Quàm ſalutari Propoſito, quàm felici Genio, quàm efficaci Oeſtro, quàm

nobili Exemplo, si nos ingrati, Discipulus prioris Posterior, Dies optimè nobis dicet, & Posteritas, credo, sibi gratulabitur: Sentio ex illo plenè Vim Argumenti brevioris illius in Iliade scilicet, ita Literati Libri--

Φῖ μόγος Αἰακίδαο παρ' ἠιόνας ποταμοῖο.

Ille *verò impendit se totum Paci & Ædificationi Evangelicorum mutuæ promovendæ,* τὰ τῆς εἰρήνης *agens,* καὶ τὰ τῆς οἰκοδομῆς, *Apostoli verbis, ut Exulante Scholastica, & Rixosa, scilicet, è Scholis Protestantium, Regnante saltem Officiosa, & Practica Theologia, in Ecclesiis: ut facessente* Studio Partium, *florente Veritatis, inter Lutheranos et Calvinianos,*

si

ſi non Coagulo Sanguinis Chriſti, *ſaltem hoc miſero tempore Eccleſiæ, vel* Coagulo Sanguinis *Sui, conjuncti, coaleſcant in unum univerſi, in unum Corpus, in unum Spiritum, unum Senſum, qui Vere audiunt Chriſtiani : vigeat inter omnes* Amicus Socrates, Amicus Plato, *ſed magis* Amica Veritas, *illa præſertim quæ eſt ſecundùm* Pietatem, Veritas: *& Depoſitis magnanimiter aculeatis Odiorum Spinis, quæ, pluſquàm puerili luſu, nec innocenter, & Sana Membra cruentant, & pungunt Sacrum Caput, &* Coronis Omnium Seniorum & Doctorum, *ad illius Pedes unanimiter* Poſitis, *omniumque Regum & Superiorum, in illius*

Caput humiliter Repoſitis, qui Cathedram Authoritatis *habet in Cœlo, qui* Solium Majeſtatis, *ſuprà omnes emineat Summus* Doctor & Rex unus, Chriſtus: *pereatque potius quàm Eccleſiæ unitas, quam non oportet perire, pereat, inquam* Filius Perditionis, *quem perire oportet (eatque* ὁ Ἀπολλύων εἰς ἀπώλειαν*) unus omnium conjunctis viribus oppugnatus,* Antichriſtus. *Atque (juvat enim hic pauliſper expatiari) cur non faceſſat è Convivio Deorum,* Μῆλον ἔριδος, *injectum maligna manu, & inſcriptum Arte veteratoria,* Detur Pulchriori, *committens inter ſe Pulcherrimas, acerbis odiis, & æmulatione turpi, reſpergens amaritudine*

ritudine Fellis, Ambrosiæque Nectarisque dulcedinem? cur intempestivè lacessat ambitionem facilem & Ingenia levia (Genus irritabile) Dearum? Cur non è Custodia Vigilis, qui observat ea, Draconis, ut nobis intercipiat, Aurea potius Hesperidum Mala, *vindicata decerpimus Argonautæ Nobiles an novi potius Hercules? Quid infelicis* Arboris *attingo Prohibita vel Ominis & Nominis infausti propono componóve* Mala? *Cur non* Paradisi Bona *paterna Benignitate concessa feliciter & impenso Christi Sanguine pretiose redempta nobis, Excubitoris Angeli sive Cherubini non obstante Gladio, Flammeo quidem illo, sed Versatili, Vi-*

roque Bono facile ceſſuro, ſi vera Rabbini ſcripſerint, Impavidi Jure *recuperanda repetimus, &* Hæreditate *dividenda poſſidemus?*

Quod ſi Squamæ Leviathan *ita cohæreant, ut earum opere textili denſato, quaſi Loricatus incedat Satan & Cataphractus, quod de* Fœdere Concordiæ, *qua Malignantis Eccleſiæ membra, ſe complexa, muniunt & circumvallant, elegantiſſimè Lutherus & Verè, cur Immane quantum Hient, obſecro, quaſi Ruinam univerſæ Fabricæ minitantes, Inhientque quaſi vaſto fœdoque Rictu ſe devoraturi,* Vivi Lapides *in vero* Templo *collocati? præſertim, cùm, & veri*

merique

meriq; Lapides, in veteri Templo, *tam artificiosè non tantum ſine deformi cicatrice Vulneris, ſed & ſine ſubtiliſſimæ Suturæ Notis, Inoculati viſerentur, ut imponerent oculo ſpectatoris, quod à nonnullis obſervatum, & facta penè fide renuntiarent ei quaſi tota Moles, in tantam Magnitudinem, ex unico Ingenti Lapide, tam Magnifica, conſurgeret. Parce vero* Fraterno Sanguini, *Miles impie, cui gravia* Bella Fratrum *non diſplicent, & ſi hic parùm ſacer tibi, parce vel* Paterno Nomini, *quod violas & denigras, quiſquis es, qui, cùm debueris eſſe,* Filius Lucis *innocuæ, ſed & proficuæ, potes, & malis, ex merito potiùs, audire,*

Carbonis

Carbonis Filius; *quæ Scintillarum, irritante leviſſimo flatu, nimis iracundè proſilientium ad Vindictam, in Libro Jobi, Nomenclatura: qui profitere* Deum Pacis *Authorem generis, et* Martem tunica tectum adamantina, *referre velis: qui Mitem Agnum ſequeris foventem Vellere, ſed aſperum Echinum induis, horrentem Vepreto, inepto Inſigni domeſtici Famuli, talis Domini: Vereor ne* Filius Iræ *potius quam Gratiæ Futurus. Et quem non pudebit olim, maluiſſe Contentionis infauſtæ* Funem *trahere, ſerramque quàm ingratam teneris Auriculis Animiſque reciprocare, quam Fraternæ Funiculum Concordiæ triplicatum neque facile*

rumpendum

rumpendum contexere, quem non pœnitebit? Cui Bono placere poterit Serpentis Sibilus, acuentis iras, exuſcitantis Flammas, potius quàm Columbæ Gemitus innocuè deplorantis Incendia, quæ vel Imbre Lachrymarum, debeat, & cupiat, extinguere? Cui non libeat, cùm ſit Arbitrii tui res, et in ore tuo ſit, Inſpuere potius quam exufflare? Quis audire velit Unguis in Ulcere, *diducens vulnus et Labra vulneris, acerbitate verborum, ne coaleſcant, potius quam,* Cæmentum inter Lapides, *inter duros molle, ſtabili fœdere revinciens à ſe diſſilientes in Unitatem Muri, inque Firmitatem Ædificii? Quis gaudeat Intonare pius ore Tragico*

Bella,

Bella, Horrida Bella, *et Martem accendere Cantu Ferali? vel quis audeat exibilare ſolus, quod totus Applauſu ſummo Mundus exceperit,*

----Pax una Triumphis
Innumeris melior,----

vel tacito murmure, tanto Conſenſui reclamare?

Non ea vis nobis, non voluntas: Bella gerant alii, Proteſilaus amet: Ex duobus in eodem utero, Collactaneis, ad Ubera deinde Collactaneis Aſper et Hirſutus, et Ferarum Venator. Rufus, ob Ferinam carus, excidit, etiam Naturæ Suffragiis adjutus, et Jure, *Primogenitura, Profanus, excidit: Lævis et ſimplex Ovium manſuetarum Paſtor, Integritatis in-*

genuæ

genuæ Candore, commendatus, et Humanitate, Paternam Benedictionem; non tam Pia Fraude matris aut Dolo malo, quam Consilio Divino, scilicet et sola Gratia Consecutus est. Humilis sim potius, et in Luto conculcatus, vigeat modò Fraterna Concordia, quàm, in Curru Triumphali, Sublimis ex Cadmea victoria: Affectent alii Magnificum sonum Titulumque Ptolomæi, sed placeat mihi jucunda Res et Nomen Irenæi: *placeat et tibi, Glorioſe* Victor, *audire Servatoris Oraculum cujus authoritas Sacra,* Beati Pacifici: *quanquam ille mos obtinuerit in mundo ferè, ut ſubeat inde cogitare, quod Linacer olim noſter, ad concionis illius Euangelicæ*

gelicæ recitationem, ſubitus, exclamatione Pathetica, profeſſus eſt: Profecto aut hoc non eſt Evangelium, aut nos non ſumus Chriſtiani. *Atqui ſerant qui volent, infelices Agricolæ, Serpentis Dentes, Invidia venenatos, unde Meſſis oriatur Haſtata Bellatorum, modò Ipſe tractare poſſim, egregius Artifex, Amphionis Lyram, & -- Saxa movere ſono Teſtudinis, ad Murorum, Civitatis Dei, ſtructuram, ſponte ſua venientia: Juvet alios pugnare vel ſpectare pugnantes amicos ut Hoſtes,*

Εγχεϊ τ' ἄορί τε μεγαλοῖσι
τε χερμαδίοισιν,

At me Deus extrahat,

Εκ τ' ἀνδροκτασίης, ἐκ τ' αἵματος, ἐκ τε κυδοίμου.

Sedeamque positus (Othone non contempto) plebeius in Ultima Theatri parte potius, Ubi nec Pelopidarum Facta neque nomen audiam. *Vel si pugnare necesse sit, urgente quasi* Vi Majore Fati, *quia Pacis amorē etiam in ardore Belli retinendū, pulcherrimè docuit Antiquitas in Herculea Clava, quā fuisse finxit* Oleaginam, *etiam tum Pacem Bello redempturus*, Εν μύρτου κλάδι τὸ ξίφος φορήσω, ὥσπερ Αρμόδιος καὶ Αριστογείτων, *Suppeditent alii rixantibus Olei fomenta, mihi suppetant Olivæ Folia, quibus, In Arcam rediens, emissus explorator, Indiciis, Fidem faciam decrescentis*

decreſcentis in Orbe Chriſtiano Malorum Diluvii -- felix Nuntius. Quod (ut redeam unde deflexerim) hic noſter facit. At quàm irrequieto motu Siſyphus alter, volvit hoc ſaxum, quod ab ipſo penè Culmine relabitur, Eludens operam ſæpiuſcule nullo fronte, nullo fine, pœnalem,

Αὖταρ ἔπφτα κάτω ἐκυλίνδετο
Λάας ἀϕαδὴς,

Quam Invicto Animo urget hoc Opus, Deus bone, ſtupeo enim prorsùs, recogitans, & animitùs veneror, quàm Invicto? Mille Moræ Remoræque properantem non frangunt, Mille Repulſæ acuunt: Mille Coronæ non revocant ambientem faſtidioſam Dominam, Mille Calumniæ & Querelæ

relæ provocant : Mille mille Molestiæ, Rerum, Hominum, Locorum, Temporum, non superant Constantiam, non debilitant Industriam. Audio penè, in illo, virtutem Hectoris illius Homerici, redivivam,

Τοῦ δ' ἐγὼ αὐτίος εἶμι, καὶ εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε,
Εἰ πυρὶ χεῖρας ἔοικε, μένος δ' αἴθωνι Σιδήρῳ.

Iste *vero, totus etiam incumbit Utilitati Publicæ, nec præsentis Sæculi tantùm, sed omnis Posteritatis, ut improbo Labore, scilicet, extundat viam tradendi Disciplinas, Certiore Filo Veritatis, Clariore Methodo Perspicuitatis, Expeditiore Curriculo Temporis, & Laboris. Nimirùm Nostrum*

hunc Orbem Scientiarum; & *Puerilem nimis* Εγκυκλοπαίδειαν (*qua Bullati turgemus* πρώων παίδες Λωβαί *Græcanico dicterio*) *Simul ac Venit, Vidit, Vicit, ut Cæsar olim nondum Augustus, Novumque non Flens audit Restare non subactum, quod fecit Alexander jam tum Magnus, sed quod, nec Magnus, nec Augustus, nec Cæsar, nec Alexander, nec fecit, nec cogitavit, Alacer audet Instare Operi subigendo: nihil est: etiam Sperare: parum est, etiam Præstare, propitio Deo, quod certè superaret omne Miraculum.*

Et quam indefesso Studio prosequitur Ingens Propositum, quam duro Labore dicam an Divino

vino ſtratagemate, ſed utroque potius, Artium noſtrarum Sordes, ut Augeæ quondam Stabulum, immiſſis Alphei rivulis, accuratiſſimè repurgandas, aggreditur, alter Hercules? Mille Latebræ deliteſcentis, in Alto ſcilicet Heracliti Puteo, *ſed & in Imo, Veritatis, quærentem non fatigant: Mille Salebræ Difficultatis, ut Hydræ Capita, renaſcentis infinities, adhuc prementem non retardant: Mille Strophæ Subtilitatis immenſæ, præſtringentis incautioris oculum, penè tenentem non eludunt, non implicant: Mille Formæ Varietatis, Lubricum Proteum, ne reddat Oracula, tergiverſantem, fruſtrà conſumptis Artibus univerſis, in-*

victa manu coactum non expediunt, non Vindicant: Mille Miseriæ Publicæ quà Patriæ cui animam debet, Infelicis, quà Ecclesiæ, cui operam impendit, Exulis, non Abrumpunt Filum Laboris: Mille Angustiæ Rei familiaris, accisæ quidem nuper, sed & semper exiguæ non Interrumpunt Cursum Itineris.

Video planè, per illum, Vivam Imaginem Græcorum in Ida lignantium, ad Patrocli Funus, & in perplexa Sylva laborantium,

Πολλὰ δ' αὔαντα κάταντα πάραντα
τε δόχμια τ' ἦλθον.

Atque omnes, ut verbo colligam, hoc saltem perfecerunt, Ingenio et Labore suo, Commodo & Honore nostro, ut Desperare Profectum

 vetent,

vetent, si non & jubeant sperare Perfectionem: Videor enim mihi videre, in Incœptis & Ingeniis hujusmodi, Θεὸν τὸ μὴ τελεσιούργον: neque enim excitare, qui nihil frustrà, solet, sapiens Deus, & Natura, Publicum Spiritum nisi in Usum Publicum; & Nobilis Animi Conatus Ingens nixus Ingenii, benè Ominatur Spei Hominum, cui penè Obstetricatur Dei manus ut in Lucem prodeat, Nobilis Successus, Fœlix Partus: Parturiunt montes, nascetur ridiculus Mus, Verè quidem attingit & falsè perstringit arrogantiam Suffænorum, &, quorum Anseres omnes, ut est in nostrati Proverbio, necesse est ut sint Cygni singuli, Seplasiariorum, Ebulliant

scilicet Ampullæ Sesquipedales, et Humanæ vanitatis Prodigia, suprà veri Fidem Mendacia, incurrunt Judicia, non citra veri Salem Mordacia, Sobrietatis, & meritò vapulant: sed absit ut Præludia Dei vertant in Ludibria Mundi; imò Divina Semina Adolescunt in Maturitatem, Sobolescunt in Æternitatem, & quod Ortum trahit à Deo, non patitur Abortum.

Neque hoc vel leviter esset metuendum, nisi multos hæc Ætas aurea Mundi sordidos haberet Eucliones, qui præberi sibi volunt è Cœlo Manna, panem Angelorum, quod fastidiant scilicet, & tanquam è Mensa, *quod aiunt* Solis, Ἀδάπανον Εὐαγγέλιον,

ut

ut de ſuo tempore queritur etiam Naziamzenus: qui vili pretio redimere cupiunt εὐανον ἀμαθίαν, *ut ſcitè Plutarchus: vel ſi quod ingrato Pericli dixiſſe fertur Anaxagoras, penè moribunda, ſanè queribunda voce, nimis ab eo neglectus*, Illi quibus Lucerna opus eſt infundere velint oleum.

Divina ſiquidem, & Cœlo delapſa licet, Ingenia, quamvis Ignium Cœleſtium, à quibus veram ducunt Originem, Aſpectu, Motu, Influxu, *vivam etium referant Imaginem, habent hoc unum tamen Elementaris noſtri, quod indigeant Pabulo, atque hac in parte quaſi ex Materno genere ducant eorum* Nobilitas: *quod etiam Poetæ, ſuo more, Philoſo-*

phati ſunt eleganter, in Fabula Vulcani ſui, Artificis egregii quidem, ſed Lapſu de Cœlo præcipite Claudi.

Habent Inventa *ſua Mathematici, mille* Litarum Hecatombis, *mille* Gratiarum *merito redempta meritoque redimenda; ſed habent etiam* Poſtulata: *Celebre eſt Archimedis* εὕρηκα, *celebre & ejuſdem* Αἴτημα, Δός ποῦ στῶ τὴν γῆν κινῶ: *Nimirùm Divini Partus, Inventa Præclara, Terris Oſtenſa tantùm poſſunt in Uterum relabi, & extingui ſuffocata, niſi Juno Lucina, imò Regina dextro Numine opituletur, niſi Regia Magnificentia Penuria Laborantibus, adeòque difficulter in Lucem prodeuntibus,*

untibus, atque in Anguſtiis quaſi Fortunæ, non Matris utique ſed Novercæ, pereuntibus, obſtetricetur.

Generoſi Fructus, Odoratæ Plantæ, non niſi calida Regione, proveniunt, & Geniali Solo, ſed Cœlo fortiter Influenti præcipuè debent Originem ſuam: Nobiliora Metalla concipit in viſceribus ſuis Terra Mater, ſed ſub Aſpectu Benigno Solis, & Propinquo poſita, ſed Amplexu validiore Compreſſa, & Majore quaſi Vi Subacta, Radiiſque penitus receptis Imprægnata: Beata non aliter Ingenia quærunt & expoſcunt Præſidia Beatiorum, quibus infirma fulciantur, atque ut per Adminicula ſua Vitis, erigere

gere se possint, et ex Fortunæ malignè non rarò prementis (ut diximus) Angustiis emergere.

Apage verò meros & miseros Euclliones ad metalla damnatos ab omni Laude non minus quàm à Literis alienos, è quorum Marsupiis Obolum difficilius extraxeris, quam Chymici solent è Silice Oleum. qui modò parcant ut sacro, Nummo suo, vel suo parent etiam, si forte, Neoptolemo, facile pati possint, ut vel Fame pereat, vel ipse Triptolemus in Curru spargens Inventa Præclara, supra Cereris & Bacchi dona Mortalibus expetenda. Apage Magnificos etiam Cleones attonitos ad μετεωρ & quorum Ephemerides habent Atro Carbone scriptam, Dominorum

rum Infamiam: Τῷ μαγείρῳ μνᾶς δέκα, ἰατρῷ δραχμήν: *Numera Cynico Aretalogo Talentum* (ὁ κυνικὸν τὸ λῆμμα) *Philologo docto sed & ingenuo Obulum*, ὁ βασιλικὸν τὸ δώρημα: *Divino Theologo Cœlos ita Basilidiani finxerunt Hæretici, Tot Quot in Anno* Dies, *et* Stellas *siquidem velint innumeras*: *Pone* Parasito Placentino *Mactea*, *Philosopho* Veronensi *Allia*: Canibus Actæonis *odoratoribus exquisitæ voluptatis et Novæ* (*non dico Famam vel Fortunam sed Animã*) *vel Irata Diana modestiæ vindice*, *vel* Sanguinem meum: Ætnæis *haud invita Delia*, *vel Minerva* Venatoribus, *à Paræmia non discedo*, *licèt à Paræmiogra-*

phis,

phis, imo Deliis etiam Natatoribus abſconditæ Veritatis et Raræ, vel Nigrum Nihil, *vel Lachrymas ſuas, certè ne Sudaris ſui vel vile pretium; ne quid amplius dicam aut acerbius.*

Quod ſi Neceſſe eſt facere Sumptum *qui quærit* Lucrum *monitore* Comico, *ne pigeat* Aureo Hamo *piſcari* Veritatem, *ſive Notiones potius quam vanitatem quaſi* Gobiones, *quod ſalsè traduxit Imperator, ut Inſaniam Tragicam: certè,* Amantium Crumenæ Folio Porri ligantur, *ait elegantiſſimè Plutarchus ad quaſvis Expenſas expeditiſſimæ.*

Et quid facere poſſint obſecro Magnates noſtri, vel ad Honorem Illuſtrius, vel ad Amorem efficatius

tius, ſi nolint audire in Scena, Calamitas noſtra Magnus eſt, *quod Minus olim de Pompeio, plaudente populo Romano tam eleganti Solœciſmo: ſi velint audire in Hiſtoria* Delitiæ generis humani, *quod Suetonius de Tito, plaudente mundo univerſo Veraci Præconio.*

Si cupiant eſſe Magnetes utriuſque, *niſi, modò videantur* Magni, *cupiant eſſe vel* Centauri: *quàm ſi Bene de genere humano merituri ſcilicet Alant Artes Honore, ſi alant Artifices, qui, vel, Optimus etiam Fructus Conceſſæ, ſi non & Unicus Scopus, quod exiſtimo, Magnitudinis illis à Deo concreditæ.*

Quid enim? Viden' ut Cedros Deus erexerit Altas, et porrexerit

rit Amplas? an ut efferant se, credis, & obumbrent humiliores, imò feraciores Arbusculas? Apage (φθόνος ἔξω τῶν θείου χοροῦ) *sed ut Patulis Ramis præbeant, etiam* Bestiis Agri, *gratum* Refugium & Refrigerium Umbræ, *sed &, præsertim,* Volucribus Cœli, *Proceris Brachiis, pateant, in Hospitium tutum Nidulumque* Familiæ.

Dicam liberè quod ingenuè sentio, Gnathones licet obstrepant è pulvere sordium suarum pipientes (pluris sunt Cordatorum Paradoxa quàm Ἐγλαστριμύθων *oracula) dicam alta voce, Staterii parietem non metuens, aut Corycæos auscultatores, imò (partem aliquam venti divum refera-*

tis ad aures) Magnatum procerumque hæc vel Summa Gloriæ, Pateat etiam Plebeiis Domus, pateat etiam Sinus Eruditis : atque ita facili Compendio Vitæ consulant & Famæ : parato Forti Satellite qui tegat Latus, & Fœlici Tubicine qui non taceat Decus : qui cum Mortalitate quasi transigat, Vitam interponens & oppignorans suam, Tuumque Nomen ebuccinans Tuba Famæ, condiens Aromate Eloquentiæ, verè quod Imperatores olim Romani, serio quidem, Morientes, affectabant, sed Ludicra Solennitate Funeris, Ἀπαθανατιζόμενον, *ut, Odorato Rogo Phœnicis Illatum, Alis Olorinis Elatum, Cygnea denique Cantione Consecratũ, tradat* Immortalitati. *Quin*

Quin & Montes quod Elatos videas, eosdemque steriles, non est quod Nemesin in tergo habeant, Arrogantiæ Sterilitatem, *quod quis argutè dixerit, sed qui parùm acutè rem putaverit; imò dati sunt in utilitatem nostram non damnati ad Sterilitatem suam: Spectanti certè non induunt Vellera Jumentis grata, sed Rimanti forte aperiunt Viscera Metallis gravida: non sunt compascui Gregibus tuis, fateor, at sunt proficui Regibus suis: nec læti Gramine, fateor, at Auro Fœti: nisi Asinus, quod est in proverbio, Stramen mavelit quàm Aurum.*

Et illa Stupenda Altitudo quæ sæpe provocat oculum tuum ad Spectaculum sui, sæpe etiam revocat

vocat animum tuum ad miraculum Dei: præterquam quod jubeat hinc prospicere lætum &c. Lubeat huc respicere lassum, præterea juvat hic introspicere licitè curiosum: Nam cum Inferior hæc Natura duo habeat omnino præstantissima, Superioribus Ignem adnumero sciens, Ἄριστον μὲν ὕδωρ, ὁ δὲ χρύσος αἰθόμενον πῦρ ἅτε διαπρέπει νυκτὶ μεγάνορος ἔξοχα πλούτου, *quod cecinit Lyricorum Princeps, & in Operis Olympici frontispicio posuit, utriusque tibi Condus & Promus hæc moles: Hæc sunt* Gazophylacia mundi & Sublimatoria Dei: *Hic Auri venæ recondunt luteum Caput, hinc proferunt Argenteum Caput, & Limpidæ desiliunt Aquarum*

Scaturigines, auro pretiosiores, quæ Rigant Arva Latice, Ornant Pascua Flore; quæ portant Navigia, levant Onera, juvant Commercia, ditant Oppida, potant & fœcundant Omnia: quasi Deus ingenti Beneficio quo demereri voluit humanum genus, etiam Lenocinari, si fas ita loqui, voluerit hoc, non indiligenti Artificio, non admirabili magis quàm utili Compendio.

Adeoque vides, ut, hi Terræ Filii, Gigantes, *æmulatione, non ambitiosa jam, sed honestissima, non Insurgant in* Cœlum *Rebelles, quod quis suspicaretur ignarus, sed Referant Similes.* Quod *in* Alto *Mundi positum, Lucis suæ fulget* Auratis Gemmis, &

Radiantibus

Radiantibus Carbunculis, *non tantum, ut Illustrans Aspectu magnifico, Dieique faciat lætiorem Operis, noctemque reficiat tristiorem Curis : sed & Mirifico Motu quasi* Lustralis *ambiat universum, spargensque Radios undequaque Salutares*, Influxu vivifico *fermentet & fœcundet Omnia.*

Et quid hæreo in minutis hisce quidem, sed Naturæ Magnalibus? Deus *ipse, qui Majestate* Maximus, *gaudet etiam, magis, agnosci Bonitate* Optimus. *Omnisque adeò Honor à Deo cuiquam delatus, Officiosus, non Ambitiosus esse debet & solet : Privilegium unius conceditur in Beneficium alterius : & si vis esse verè*

Magnus, *ne sis instar Utris Folle tumidi, sed instar Uteri Puellæ gravidi: sit* Eminentia quævis Officii Calcar, potius quam Pulvinar Otii: nec Attollas inane Supercilium, sed Exhibeas utile Ministerium: Hæc Via Lactea *Magnitudinis, non Candidis aspersa Nebulis, ut Philosophi quidam de illa, sed Clarissimis munita Stellis*; Hac itur ad Astra:

--Vos ô Clarissima mundi Lumina, labentem cœlo quæ ducitis Annum, Magnates, Proceres, Principes hanc insistite viam: qui non multum receditis à Cedrorum, Montium, Cœlorum, Dei ipsius Imagine, *modo nimirum Magnitudinis*

nunclinis vestræ, Accedite etiam ad eorum Similitudinem, Exemplo Utilitatis publicæ: ut Operati Templo Virtutis, qui primus se attollit Gradus: Initiati deinde Templo Honoris, ad quem nisi per illam nullus olim Romæ patebat Aditus; & qui laborum demque restat unicus Portus, & Votorum summus Exitus, Æternitatis Templo Consecrati, numeros felicitatis omnes impleatis.

De Vestro sanè fas omne sperare Magnificentia, nefas omnino dubitare, cujus Illustris Fama penetrat ad Nostros, Pietas insignis beat Suos, qui magnus Solio Majestatis humanæ, major Ingenii divinæ vivacitatis, maximusque

merito Heroicæ virtutis, ornat Imperium, & stipat suum quasi Davidicis Proceribus, evehens utique suos, vocans undique Alienos!

Quos inter ut reliqua taceam, in Orbe vestro lucida Sydera fulgent conspicui Ductores primi Ordinis, & Stellæ quasi primæ Magnitudinis Clarissimus Alstedius instar omnium nostro Idiomate Lumen olim Germaniæ suæ, nunc vestræ Transylvaniæ, & nunc & olim Europæ nostræ Lumen, Pater Artium & Musarum Præses Apollineus: Doctissimus deinde Piscator Nomine Paterno notus & suo Nobilis Linguarum Mercurius & Interpres Callentissimus, & subtilitatum Cri-

Criticarum felicissimus Expiscator; Celeberrimus *denique* Bisterfeldius, *Integritate animi dicam an Sublimitate judicii, sed utraque Celeberrimus*; Bisterfelix *Musarum Sponsus & Gratiarum pariter elegantissimus*. *Quam* Formosa Constellatio Doctorum? *quam beata* Τριας, *ni fallor*, Πλειαδας? *quam* Fortes Triarii *rei literariæ*, *Linguarum Simul Artiumque, quin & virtutum præterea* Πανοπλια *Cataphracti*? *Nempe hi Cœlum vestrum fulciunt humeris Eruditionis* Atlantes. *Sed quot ne eo præterea motus in literis irrequieti laboresque omnes exantlantes*? *Hi in præsidiis agentes Patres, quot deinde in Subsidiis hisce succrescunt*

ati Juvenes? Hæc in Minervæ Peplo ſcribenda Nomina, quot in Albo ſcripta credam Academiæ, ſcilicet, Albæ Juliæ? Cujus Alumni volitant ut Apiculæ ſtudioſæ florum per Europam totam, & quotidie melliſicant, onuſti tandem in Alvearia ſua remeaturi, militantque Literis omnes unius inſtructi viatico Benigni Principis, & Alati quaſi, Stipendiis.

Patere verò Sereniſſime Princeps, Ocelle Principum, *cujus Orientem Solem veneratus, etiam creſcenti Gloriæ favet Orbis Chriſtianus, patere obſcurum hunc culum an vermiculum, ſed Glorioſi Domini Jeſu Chriſti, licet indignum, Famulum defen-*

re Sensa nostrorum, demisse supplicem, ad Celsitudinem tuam, & Vota omnium. *Perge felicibus Auspiciis, quò tua te Virtus ducit & Pietas vocat, perge quo cœpisti pede, beare Patriam tuam Ingeniis, ornare Academiam Stipendiis, stipare Ecclesiam Præsidiis, excusitare stupentem Europam Exemplis: Curæ ne Eliæ pietati deesse possint Aureæ Quadrigæ (si non Igneæ) Benignitatis tuæ, quibus ascendat in Cœlum quasi promotus ad opportunitatem scilicet efficacioris Influentiæ: ut Eliæ demum succedat Elisha perpetua serie, Rabbinarum lingua sed & sententia: ut suscrescat in Stirpe vestra, præsertim Theologica, quod accidisse casu fabulantur*

in Arbore Poetica Virgilius,
Uno avulso non deficit Alter Aureus, et simili frondescit virga metallo: quod in Alcinoi Phæacis horto memorat Homerus

Ουχνη ἐπ' ὀυχνῃ γηράσκει, μῆλον δ' ἐπὶ μήλῳ.

Immensa tanti Curriculi gloria, Impensa minima vel nulla; perexiguus labor, at fructus peregregius: Nunquã vilior erat Annona Romæ referente Plinio, quàm cùm Terram colerent iidem qui Rempublicam regerent, quasi gauderet terra (non tam labore quàm Honore culta) Laureato vomere *scilicet &* Aratore Triumphali: *Felix, proventus literatorum sub Aspectu benigno* Mecænatum *& principum.*

Ne-

Neque Ασύμβολος *Hospes esse solet Evangelium.* Ecce f Lorent VaLLes CVM EVangeLIo, *quod de vllae Joachimica primo Reformationis anno fœcundiore Literis istius sententiæ Numeralibus argutia Chronostica designato posteritati traditum: neque Vidua Sareptana aluit Eliam diviso cum illo tempore siccitatis Oleo suo, potius quàm multiplicato per illum interventu miraculosi operis Oleo Dei Elias Viduam: Neque difficile est Christo vel unica Benedictione vel unicum Panem in Eremo multiplicare, ad quotacunque Millia convivarum saturanda, ita ut supersint etiam Reliquiæ reponendæ, non ad mensam Populi, nec ad mensuram Recon-*

ditorii

ditorii, sed multo magis ad memoriam Miraculi, sed & ad Exempli Fidem! ne divinæ Liberalitatis Obligata Fide, *cujus* exhauriri Fundus non potest, *humana metuat Infirmitas exemplum, si necesse sit imitari:* Reique *suæ totius quod* Vidua *fecit in Templo* Minutis *etsi vilis & Quadrantaria nasutulis in Terris Æstimatoribus, et ex* ἀνθρωπίνῃ μικρολογίᾳ *Rationariis, Eleemosynaria Nobilis & à Christo prælata Magnificis Aureolarum in Cœlis exupererogatione sua quasi Redemptoribus Indulgentiariis & Pharisæis* ὄφρυϊ Δυτικῇ *Superciliosis & seplasiariis: imo et Spei, velut* Holocaustum *quod* Hostia Prodiga, *sed immerito*

dicta,

dicta veteribus, Exigente Deo, *non computans* Articulis *Impensæ ſummam*, *narrante ſolicitè* Dextera tua ſiniſtræ, *quid Eximii fecerit* & Digito monſtrante, *non anxiè metuens tantillum dammum* Centuplo *fœnore refundendum*, *dubitet* Impendere: *ſciatque pius non ſpiritualia tantum* Dona *diſtracta communicando*, *manere tamen aucta pluſquam Integra*, *creſcere quod aiunt eundo*, *quotidie depaſta quotidie Renaſci*: *ſed etiam Temporalia Dei ſervis Impenſa non* Perire *ſed* Parturire, *divinaque Benedictione Manus in ipſis ipſorum dividentium manibus*, *ipſaque adeo magnifica* Diviſione *mirifice* Multiplicari.

Parce

Parce pientiſſime Domine, ſi velut Attonita, ſui rurſus immemor, interveniente ſacratiſſimo Nomine Domini mei Chriſti *pauliſper aſſurrexerit ei quaſi venerabunda, quem mille mille mille Myriades Angelorum ſtipant, & Cœli Chorus humillimè pronus adorat univerſus, & è via deflexerit oratio mea, quod in honorem Dei factum Pietas tua non accipiet in Contumeliam ſui, modò reditura, brevemque moram grandito gradu redemptura*; Hoc *agere libeat, ut ex vero ſcilicet audias* Delitiæ, Populi, *Juſtitia, Benignitate, Manſuetudine, Morum civilium, ſed &* Sanctimonia, *Pietate, Conſuetudine Rerum Cœleſtium* Delitiæ Domini: *neque*

que pigeat hæc eadem ſemper audire. Induc animum Canuti *noſtri, compone te ad exemplum* Caroli *Magni, quorum uterque detracta Capiti ſuo Coronam Regiam reposuerit, Ille in Imaginem Crucifixi fortaſſis expreſſam Ligno pro Genio temporum, Hic etiam ſupra Genium Temporum in Legem feliciter expreſſam Libro Scripturæ: ſit tibi Chriſti* Νόμος, Βασιλεύς, *et Floreas, ut omnia tibi compendia Bona precemur à rege dictato* (Πάντα ἀγαθὰ τῷ, Βασιλικῷ) *placeat que tibi Symbolú Alphonſi* Pelicanus *eadem mente, nec dubites eſſe* Pro Lege *et* Pro Grege, *non Coronæ tantum, ſed ſanguinis, et* vitæ prodigus. *Audax monitor interpello Celſitudinem tu-*

am

am fateor, et Consilio forte diuinsculo, sed concludam voto, deprecatus insalentiam rei, tuæque patientiæ cursum, cumulumque felicitatis apprecatus omnis, & Virtuti tuæ parem. Præstet tibi Rex Regum et Princeps Principum, Deus Exercituum et pacis Deus, vel Arma Victricia *magnifici Davidis, expediendaque justè scilicet, ad* Tutelam Populi *tui, vel* Otia Felicia Pacifici Salomonis *impendenda sanctè potius in* Structuram *Templi sui*, Serenissime Princeps, Occelle Principum.

Imprudens fortasse mi Tolneie, quod nollem, vellicat et violat hæc oratio delicatè teneram modestiam tuam, quæ verecundo rubore

bore ſuffuſa jamdudum æſtuat, averſa, quaſi pœniteret Advocati tam inſulſi, tacitoque vultu Receptui canens, audaciam meam ſufflaminat: Pareo vel nutibus illius: ſed erras opinor, ſi exiſtimes ingratam veſtri Principis Auribus accidere poſſe noſtram hanc dicendi Libertatem; An Ille vel erecto ſupercilio graviore pelleret in humane vel Ignoti liberam Linguam, vel tacita cogitatione damnaret, cujus Prolixa ſcilicet Humanitas Aureis Authentica literis, & ſub Sigillo confirmatiſſima, Noſtros, ad Liberam vitam *ſub ditione ſua quaſi porrecto Brachio pellexerit? vel tacito vultu Pietatem læderet Ille, quem & ex* Fortuna Privata *provexe-*

rit ad Gratiam Populi Spectata Pietas, *& evexerit ad* Gloriam Imperii, *& in* Procella Publica, Pietas *iterum* Probata *non tantum præstiterit* Incolumem *ex Periculo, sed &* Sublimem *tantum non Miraculo sustulerit? An ille Monitis* Votis *quæ* Humilitas *pia Pietasque humilis, imperarit, & temperavit, non obtemperaret protinus? An tam Candidum pectus ausit vel possit de principe tam splendido vel Levi suspitione concipere tam atrum Scelus? Absit inquies si te novi non sine indignatione mitis animi toto Capite aversatus, toto Corpore aversus.*

At ego gratulor enimvero Fortunæ tuæ non dicam, sed Divinæ

primò

primò Providentiæ, deinde etiam felicitati tuæ, qua jam perrepes in Imperium Forte non ſine Periculo, *ſed certe* Prorepes *modo in* Conſpectum *ſine* Faſtidio, *mox autem niſi me fallit animus, Subrepes in Sinum Pientiſſimi Principis, inſinuatus, nõ lubrica ſubtilitate Serpentis & contortis Spiris (abſit hoc ab Ingenuitate tua) ſed Artibus licitis & tuis, ſed Pietatis & modeſtiæ Literis quaſi* Commendatitiis, *Eloquentiæ Paulinæ Charactere minoribus, Authoritatis Divinæ Pondere multò minus quidem Illis, at Ipſe pluſquam* Oneſimus *ad* Philemonem noſtrum, *ſed & Eccleſiarum* Theophilum Nobiliſſimum *Principem dico veſtrum rediturus.*

Ubi Tu quam Calidè *apud Illú ages causă Christi tui, non Byssinis verbis quæ Byssinis Viris aptiora, sed mysta mysticis.* Ille quā Candidè audiet? *Tu quam fervidè instillabis* Arcana Imperii Pietatis? Ille *cui non sunt aures in pedibus quă Avidè, quam miti humilitate penitus imbibet universa? quam Benignus aspiciet & secundabit utrumque Propitius Deus in cujus manu sunt & Corda Regum scilicet et Lingua Eruditorum. Sola viri Molles aditus et tempora noras, Divina nimirum* Gratia, *cujus felicissima Peritia quod de* Jaculo Donativo *alicubi Poeta, Consequitur quodcunque petit -- et certius attingit Scopum sibi destinatú quam Sagittæ* Gratiani

tiani, *de quibus olim* Γρατιανοῦ βέλη φρένας ἔχειν *hac ipsa decausa, quod ac si quò mitterentur intelligerent, ita metam sine deviatione, sine circuitione peterét, etsi non sine Palpo Adulationis Aulicæ fortasse, percrebuit: Fave tu* Servo tuo *verba tua conanti, Flecte* Unctum *tuum in Obsequium tuum sequacem, & subige totum suavissima Incantatione, fracto, si quis insederit aliqua parte fugatoque pulsóq; spiritu maligniore* Lyræ *tanquam* Davidicæ *modis:*

Ἰύγξ ἕλκε τὺ τῶν ἐμὸν ποτὶ δῶμα τ̂ ἀνδρα:

Auscultabo quid loquatur Deus, nam loquetur Pacem suis.

Et ô quam lauta Bellaria Rerum, *scilicet ex voto Pietatis*

tuæ fluentium te excipient in patriam reducem, quam læta? quam grata deinde referes ad nos modò brevi quod opto medullitus & spero revisurus Apophoreta Narrationum, *quam gratiosa? Cui apponet Deus* μάζας μεμαγμένας ὑπὸ τῆς Θεοῦ τῇ χειρὶ τῇ ἐλεφαντίνῃ, *quod jocose Comicus Aristophanes & ridicule de Minerva suorum Atheniensium* Tutelari *locutus; quæ illorum male consulta benè vertere fingebatur antiquitus: at Christiano contingit idem seriò; cujus illustre Privilegium sententia Paulina descriptum,* Omnia cooperantur in bonum diligenti Deum, *vel Impedimenta convertere potest in Adjumenta, quærenti non se sed Deum, veri-*

ius quàm Lapis ille Philoſophi-cus *Celebris ſed Imaginarius, ſi con-fici poſſet à curioſis eadem facilitate & felicitate qua Confingi ſolet ab otioſis ingeniis eademque virtute mutaret in Aurum Omnia quæ contingeret.*

Lubet equidem participare Gaudio tuo quod & anticipare præſagio; lubet, et prælibo certa Spe quod tacita Cogitatione præ-cipio, Plantata verbis, rigata La-chrymis, Saginata Exemplis, Auguſtini Stylo, Doctorum, Tuis, Principis, *accommoda-tione noſtra quam ornata ſurget Academia, quam aucta creſcet Eccleſia, quam beata florebit Pa-tria veſtra* Tranſylvania!

Licebitne mihi ad hæc confer-

re Symbolam meam? Non deeris ſcio Chriſto, Tibi, Tuis, at neque Judicio meo proderis magis, quàm ſi humillimis votis hoc apud principem tuum perfeceris, ut inter alias in Academia veſtra faciat etiam locum Profeſſioni Practicæ Pietatis, *& ſupra alias; ſine qua vel in amœniſſima terra* Jerichuntina, *Scholis inquam Prophetarũ, Subamaræ fluent è* Fontibus illis *Aquæ, qui hoc divino Sale condiendi ſunt ad Dulcedinem gratam, quod Eliſha fecerat in ſimili caſu, Prophetarum Filiis etiam hac in re gratificatus, & ad ſuam quaſi Sanitatem, adque certam ex illis haurientium Salutem, revocandi: Sine qua nec digni Deo nec apti* Cœlo, *nec proficui*

cui Mundo fuerint etiam qui literis elegantioribus excultiſſimi, quique Diſciplinis omnibus inſtructiſſimi.

Facturuſne operæ pretium, *ſapienter in Hiſtoriæ ſuæ Proœmio quærit Livius quod* Jacobi Baculum *teneas accuratè, quo Cœli dimenſus Altitudinem ſtupentibus vim Artis Ignaris, & veritati vix cedentibus*, Annunties, *ſi* Jacobi Scalam *propterea vel intereà negligas & veram in illud ne per Somnium quidem inſiſtens viam excidas* Hæreditate Cœli, *ſive quod longè pejus ei Renunties?* *Non felicior omnino quam Thales opinor, imò multo ſtultior hac in re, quem ſuaviſſime riſit Anicula Contemplantem Stellas*

in

in Alto, sed in Aquas ipso facto Cadentem in Imo fossæ Lutosas: cum oporteat potius ita respicere Cœlum ut possis eò melius regere Clavum vitæ cursumque viæ tenere, quod Naucleri solent Astronomis in eo non parum sapientiores.

Et verè quadrabit in te peritum scilicet & periturum, quod de se muliebri voce puerili mente dixit aliquando Nero, denuntiatus Hostis à Senatu mortique jam destinatus, heu Quantus Artifex pereo *non ictu vulneris adhuc, ac metu confectus & pene moribundus! hæc ad suos effatus, atque in hac ultima fere Sententia Efflavit spurcam animam sævus Carnifex & vere* πήλος αἵματι Συμπεφυρμένος, *quod aliquando de*

illo

illo Præceptor emphaticè prædixerat: Ac quantus Artifex! ſi potes audire vera vel in hoc Articulo rerum Fidicen optimus & Peſſimus Princeps, Auriga Rotæ *melior quam* Romæ, *ſpectatus in Orcheſtra ſæpe, certè non probatus in Republica.*

Cui Bono, *ſolebat ita loqui Caſſius, & cui bono profunda Scientia ſine Conſcientia pura, polita lingua ſine probata vita, niſi forſan ut referas accurate Babylonii* Nebucadnezzaris *inconcinnam Statuam cujus Aureum Caput deſineret in* Luteos Pedes, *quaſi Corona gravatus modò, mox autem Ruina confringendus, vel* Butonem, *ſi palato tuo ſapiat*

Imago

Imago magis illa, Gemmatum *si forte* Capite, toto *certe* Corpore venenatum Odioque *magis ingenti quam* Pretio *Nobilem*.

Et quid si audias Αλλων Ιατρὸς αὐτὸς ἕλκεσι βρύων: *Egregium opus aiebat Apelles de pictura cujusdam rogatus in arte sua felicis æmuli, sed deest* χάρις: *imo vigeant apud vos* χαρίσματα, *sed in quibus efflorescat & emineat* χάρις, *& Apostolica potius quam Attica: Sedeat in* Labris Suada, *sed et* Fibris Gratia, *quæ sola verè Flexanima Suada & medulla suadæ penetrantissima:*

Πραξιτέλης ὃν ἔπαχε διηκρίβωσεν Ερωτα
Εξ ἰδίης ἑλκὼν Αρχέτυπον κραδίης.

adeo-

adeoque Gratias cum Muſis pulcherrimo, quod aiunt Conjugio commiſcentes, & Veneres utique Cœleſtes cum Amoribus ejuſdem generis & Sanguinis, ut ſit veſtra Realis *etiam non tantum* Nominalis, Alba Julia, *facite ut inde cum Eruditione Pietatem diſcentes hauriant illius Alumni, quam deinde, non Helenam formoſam referentes, ominis infauſti, ſed fortes et felices utique* Διοσκόρους, *utramque conjunctam docentes influant & propinent Eccleſiis.*

Sit elatus apud vos Helicon; *arrident enim mihi: quæ libenter igitur uſurpo Clementis Alexandrini verba, modò prælatus* Sion, *& Studioſi veſtri potati* Rore *Heliconis, ſed & ſaginati* Flore

Sionis

Sionis, *operas in vineam Domini paciſcantur ſuas, & à Domino Meſſis in Meſſem ſuam protrudantur.* Exeant è Caſtris Academiæ Chriſti Milites *in* Eccleſiæ Campum *quotidie velut Imperatoris Aureliani quondam in Bello Marcomannico Celebris apud Eccleſiaſticæ ſcriptores hiſtoriæ Chriſtianorum* Legio Fulminatrix, *in Doctrina ſonantes Tonitrua, Jaculantes in vita* Fulgura, *quod de Baſilio Magno Nazianzenus æqualis.* Quid enim Τὰ ἔργα ὑπερφέροντες λόγους, *etſi fuerint Apothegmata ſingula, modo verba ſola, veriſſimus in eo Lucianus; & ſummopere cavendum divino* Præcepto ne dicta factis deficientibus erubeſcant,

ut

ut elegantissimè (nisi fallor) Augustinus: & certè quod vir sanctus & gravis aliquando vitæ sordibus indigno Nominis honore, sed istius sectæ Philosopho professione, severè taxans incongruitatē rei deformem, Nihil turpius est Peripatetico claudo.

Artifices in illo genere solent emittere Columbas alis unguento suaveolenti delibutis, ut Illices aliarum scilicet in supplementum Domus extructæ de novo vel exhaustæ denuo, referente Basilio: Sed hæc in Academias accommodatione profectò nobiliore Omru, Felix Artificium efficax Illicium, quo non aliud repleverit Academiam vestram & suppleverit Ecclesiam, vel Innocentia Par,

vel

vel efficacia ſimile, vel Gloria poſſim addere, ſine Pallore ne ſuboleat Impoſturam Judicii mei nam Stultitia Pellucida, ſine Rubore cum Cenſuram ſubeat Ingenii tui magni tam invidioſè Giganteà comparatio propoſita, Sublimius.

Staſicrates apud Plutarchum, Montem Athon *ingentem traducere voluerat in Effigiem Alexandri Magni totum, ſi Rex ipſe tam ingentibus auſis annuiſſet,* Urbem ſiniſtra *tenentem Ampliſſimam refertamque Civibus,* Dextra *fundentem* Fluvium, *qui Dives Aquis Argenteis illam* Θεὰ Θέτις Ἀργυρόπεζα, *præterlabens allueret, & Armis à Vulcano fabrefactis, atque traditis Achilli*

ſuo

suo defenderet, *in* Monumentum Magnifici *Regis magnificum satis*. *At* Monumentum *sibi Statuet si tantillum tantus audire dignatus fuerit*, Princeps vester, *& manibus suis potius, si Complexus arctiore Cura* Rempublicam *suam* Beatis hisce Laticibus *etiam rigare voluerit* Ecclesiam *Dei, longè quidem opinione mea quam potuit Artifex animi vasti vastique Ingenii vel cogitando fingere vel fingendo cogitare* Magnificentius. *Neque sapientis erit opinor* ὑστερεῖν ἐν τοῖς προτερήμασι, *neque velis accedere Cunctator Fabius ad hoc opus, potius quam Papyrius Cursor.*

Semiramis *Assyriorum Regina, mulier impigra, virilis animi,*

 cùm

cùm, circa cultum Capitis occupatæ, mentiaretur ei defeciſſe rebellem ab Imperio Babylonem, altera parte Crinium adhuc ſoluta, protinus ad eam contendens accurrit expugnandam, neque Capillos in Ordinem, Curioſa prius, Animal Horæ, *quod de Proteo dixeris effœminato ſubinde, mutabili, quam, quod de Stoicorum ſapiente dixere veteres*, Animal Gloriæ, *tantam urbem in poteſtatem ſuam non otioſa fœmina redegit.*

Surgite verò quotquot eſtis Europæ Sereniſſimi Principes, Illuſtriſſimi Magnates, *agite viros, imitamini* Fœminas (*an quia præceſſerunt ſequi pudet, & ne ſequi ſaltem non pudet*) *etſi*

magna

magna Babylon, ab Imperio ve-ſtro quidem, ſed etiam Dei præci-puè defecerit, imo ſi Sancta Si-on, illa Civitas Davidis, *à Je-buſæis adhuc intercepta vobis & occupata defuerit, ad ſecuram Poſſeſſionem Cœleſtis Hieroſoly-mæ, Solidum Fructum Victoriæ veſtræ, ſinceramque Triumphi* Lætitiam, *nulla vobis interea* Curatâ Capitalis *obſecro vide-atur, quæ poſſit huic prævorte-re, tantas urbes in poteſtatem veſtram redigendi.*

Nolite tempus in Nugis terere, quod avolat è manibus, & fugit irrevocabile ſemel emiſſum, vel Cras *ut ille,* Seria *rejectis in hi-lari compotatione Literis* Indiciis *imminentis etiam tunc vitæ ſuæ*

Conjurationis, hodie morituri, protelare: Nempe fronte Capillata est, post est occasio Calva.

Quid juverint Intonsi crines Apollinis, & Compti Veneris, si dum tui Capitis ornato Frontispicio delectatus, ipse sine Cerebro Prometheus, Occasionis amiseris, Occipitio glabro delusus Epimetheus, adeoque Fines *Imperii tibi decreverint attonsi, Reique tuæ* Magnæ *simul &* Bonæ Spei Caput, *in præcipiti tibi constiterint, aut ancipiti loco, si non omnino præcisa conciderint? Si tibi lætiori contemplanti tua* Capillata Frons Æris *obversetur, &* Calva *contemnenti tristior* Occasinis *obvertatur aureæ? si* Coma *delibuta floreat &*

Corona *delibata marceat?*

Et ne Quisquilias Ineptiarum, minutius excutiam vel exagitem, magnificentius aut morosius universas effœminatorum, quis non ingenuè riserit accuratè redigentem varias in Lyra Chordas *in* Harmonicum *sonum singulas & conjunctas, interea tamen incuriose neglecta* Cor & Linguam *vel inter se vel ad Concentum cum virtute Musicum, qui non omnino Subigenda tentaret?*

Qui perite composita Cithara sonare posset in Convivio Procerum Crinitus Iopas, *aut etiam mirifica Lyra vel Orpheum superare Magistrum, Flectere* qui potuit Superos *artifici pulsu*

Stupidoſque trahere, velit tamen Eurydicen ſequi, perditè contaminata vita, Centimanus *in Bello Deorum Gigas, atque in* Acheronta *movere præceps ad Inferos immatura morte non Scelere citato curſu deſcendens & nulla prece nullo carmine revocabilis ad ſuperos, unde redempta ſtulte retroſpiciens iterum retroacta relabitur? Et qui ſemper oberraret eadem* Chorda *contempta* Junone Moneta, *cui non videatur Arte magna* Delirare *voluiſſe?*

Graviſſime Plato divinus, Οἱ σπουδαῖοι ἐν τοῖς γελοίοις, γελοῖοι ἐν τοῖς σπουδαίοις, *ut plurimũ Degeneres Animæ et nõ magnæ laudis egẽtes hæreant in luto Luxuriæ, molliter oſſa cubent illis in lecto Socor-*

diæ, vos evigilate, quibus è meliore luto finxit præcordia Titan, ingentes Heroes. Ne sit Curæ vobis ut Comitati Sodalitio Spudonum, culti Famulitio Gnatonum, cincti Satellitio Latronum prodeuntes in publicum quasi Luxuriæ Genii publicæ vel Patroni, Superbiæ Fontes & Fomites, Injustitiæ Præsides & *quasi* Tutelares, *ita Nomen Honoris umbratile tueri satagatis elati quasi* Cothurnis; *induti Larvis illis et infestati* Spectris: Amor populi vestri Satelles Imperii *longè* Fidissimus: *nec ut* Unguentati *certetis utique cum Fœminis et pugnetis in Occulto nudati virtutibus, etsi non vestibus* Agathyrsi Picti, *vel etiam*

placeatis eis, nam quod de meretrice sine arte formosissima sine cura dixit aliquis ingeniosè, de virtute verius ingenua, Virtus ingenua Lecythum habet in malis. *Atque ut redeam ad exemplum initio propositum, non ut* Calamistrati *molliter agatis in Scena nec ut* Cincinnati *turpiter apud emunctae naris homines et frugi notaque melioris audiatis,* οὐδεὶς κομητὴς ὅστις οὐ κακὸν φέρει, *atque ut eleganter Homerus ab eodem petita comparatione luculentissima sane & significantissima,* Λαμπρότατος μὲν ὄγ' ἐστι, κακὸν δέ τε σῆμα τέτυκται. *Turpe Christiano sub Capite coronato Spinis, agere militem delicatum, gloriari* Muliebri Crine, *quod rasa Circuli-*

culi forma vel Imagine Coronæ Indicra faciunt in Apocalypsi sub Abaddone Rege suo Locustæ, non Capite Cœlesti potius Animæ sponsæ suæ pulcherrimo, quod etiam castæ Marito Matronæ solent: Ornata Coma quasi mysterium Roboris in Capillis involutum lateret ut Sampsoni traditu per amicam, vel Fatum Felicitatis in Purpureo Crine pẽderet illigatũ, quod de Nisa fertur à Filia prodito, vel Immortalitatis etiam velivoli illius innexum Nodo volitaret & infinito pendulè prolixo Syrmate, quod vipinati Persæ delirantes olim, vivi curiosius alebant, & morituri solicitè retinebant, ut Ansa certior esset arctioribus Angeli complexibus et

tena-

tenacioribus in Cœlum ſublevauri, non Æterna Corona *vel de* Liliis Exempli boni Candida, *vel de cruenti Purpurea* Martyrii, Roſis, *ut Cyprianus elegantiſſimè, potiuſque Floribus è Chriſti Sanguine ſtillante feliciter oriundis, & calcatis Obedientiæ perfectæ tramitem veſtigiis intertexta, qui* Candidus & Rubicundus *à Sponſa ſignatè prædicatur hoc innuente fortaſſe, quæ Candida pariter & Rubicunda cùm mereatur audire, de virtutibus etiam ſuis utique verecundata, ſumpetit ab* Agno Felicitatis *integræ* Vellus Aureum, *cujus omnia ſe debere ſua Merito Bona recognoſcit.*

Turpe viro ſaltem Chriſtiano time-

timere ſudorem Sybaritice, raſtrisque gravioribus etiam viſis indolere prorſus afflicto capite, rugaſque Roſarum queri tremebundum, quaſi procaciter inclementerque mordeant, & delicato lateri grave vulnus imprimant, appetere qui debeat etiam ſanguinis epotandum calicem aduſque fæces etiam Spinarum punctiunculas, & ambire, quibus ut Chriſti Typis & Regiis, Impreſſus & Percuſſus Imagine Domini Signetur, eumque referat ut Nummus, non ille πονηρὸς νόμισμα & Adulterinus, ut Filius ἀγαθὸς ἄρμα, haud ille degener, et ſequatur, ut initiatus ante Literas univerſas Alphabeti Duci Cornea puerorum penſilique tabella pellucidaque

daque praeeunti Cruci, *non* nitida Coma coronatus, *sed vel in* Putida Calvaria crucifigendus.

A te vexatas *malo tenere Rosas amicissime Christe: In te* vexatas *malo videre comas, amice Christiane: Turpe viro scilicet haerere molliculum ad* Speculum Veneris, *torquentem noxia solertia Capillos, anxia diligentia plicantem in nodos atque in ordinem solicita cura reponentem, si vel parum deflexerint* ἀτιμαγελέοντες *ut venentur elegantia factitiae formae, scilicet Aquilae contra proverbium, Muscas, ut Domitianus Imperator inter foeminas in magnifico Palatio: cum praeiverint & Foeminae* Solutis crinibus *& neglecta forma*

ma, quæ quò incultior eò pulchrior efflorescit, & quod de Cassii Brutique Tacitus observat Imaginibus, in gentili cujusdam suorum funere non prælatis, eò magis præfulgebant utique quia non visebantur, *& quasi cursu contenderint in* Campum Martis, *ut etiam Muscæ, sicut in Æsopica fabula Testudo, pensans industria tarditatem, Gloria fulgentes Aquilas assequerentur, & Christiano profectò turpissimum.*

Surgite verò quotquot estis Europæ Sereniſſimi Principes, Illuſtriſſimi Magnates, *iterum vos alloqui fas sit, Accingite vos ad ingens hoc opus, Accelerate compositâ quidem agmine neque solutis Ordinibus, ut vel Solutis*

accele-

accelerate Crimibus, Heroes impigri μηδὲν ἀναβαλόμενοι, *ſupine tardi, vel etiam timide cauti* ἀναβαλόμενοι, *Subigite Deo* Magnam *illam* Babylonem ὑπὸτομὼ οἰκυμένης, *atque* Δεισιδαιμονίας ὑπὸτομὼ, *quod de vetere Roma dictum de hodierna certè veriſſimum,* Μητέρα πορνῶν, *& ne plura ſcilicet accumulem, quæ poſſint infinita,* Superbiæ *turpiſque quæſtus univerſi* Μητρόπολιν: *aggreſſi magnanimè ſternite Belli Nodumque moramque Turcici, reddite quæ vobis imperioſa fecerit & Crudelis appellata Mater, at non improbi pueri,* Lege Talionis, *Igne, Gladio, conculcatione pedum, Direptione Theſaurorum omnium, Nudatione contumelioſa meretri-*

retricis, ultimaque Consumptione carnium putidarum: resumite Coronas vestras hactenus in Cornibus impuræ Bestiæ diu satis & pro Imperio ventilatas, imo sub pedibus etiam conculcatas, aptiùs ad Agni *mitissimi pedes, & Sedentis in* Throno *magnificentissimi, tutiusque reponendas.*

Neque tardetis intereà Redigere *in potestatem vestram* Sanctam *hanc* Sionem, *tanti momenti* Præsidium *scilicet, &* Cœli Portam, *vel si cui potius illud,* Imperii *verè* Catholici Claves, *omnia victoribus & illius Dominis aperientes,* Eruditionis Ἀνεῴπολιν *universæ. Comparate vobis hasce quæ poterit expugnare, non* Demetrii πολιορκητὸς, *sed*

ſed Dei πολιόχου potius Ελεπολιν, *Alaricum* precibus *importunis animum, ſed & Armatum zelo fervidiore Studium violentis effractoribus, & ingenioſis Expugnatoribus Urbium clauſarum atque caſtarum, quæ videntur eſſe difficili ſed* Illice *pertinacia, vel ſimplice ſed invicta merentur audire Pudicitia* Virgines, *ut Intactæ ſcilicet & Intractabiles.*

Alite qui vobis illam conficere potuerint egregios Artifices, alite vel in ipſo mundi Prytaneo *magnificè frugales: Impendite non Ornatum veſtrum Superfluum licet elegantem, ſed Aurum vel Ophyrinum, vel utriuſque potius Indiæ recondita Divitiarum* κειμήλια,

μήνας, *quod in ſtructuram tabernaculi Bezaleeli traditis Ægypti Spoliis & Aholiabo divinitus inſtructis, & viri fecerunt & mulieres adhuc* Αἰγυπτιάζουσαι ὡς ἀληθῶς, *ut Clemens Alexandrinus in Pædagogo loquitur, Ægyptia Templa magnificentia ſtructuræ pulcherrima, ſed eadem monſtroſi Numinis obſervantia putidiſſima, ſapientes,* Inaures, *ipſaque adeò* Jocalia *ſua feliciter hac Oblatione ſpontanea Conſecrantes.*

Neque hac in Cauſa properantes Ordinem Crinium *negligite tantùm, quod Imperioſa Semiramis exemplo docuit, imo* Crines *ipſos impendite detonſos abraſoſque, quod etiam memoratur in hi-*

ſtoria factum, & à Fœminis Officioſis in obſidione Patriæ, ne deeſſe poſſet ad Defenſionem materia Machinis illigandis: neque Crines & Frondes *iterum brevi renaſcituros, ſed etiam Carnes & Oſſa Redituum veſtrorum, ſed ipſum Caput, intimamque vel* medullam, *ſed* Humorem Radicalem *cum Vitali Spiritu, ſed ipſas etiam Radices Imperii veſtri nudatas evellite,* Nerviſque Belli *pecuniæ ſic interpretor et ſapientiæ, contendite donec rigeant: ſed veſtræ denique* vitæ Gloriæque *ſummos Apices etiam ſacrum* Caput *et* Coronam *conculcandas exponite,* Cor *et* Cerebrum *diſpergenda ſi neceſſe*: Sceptrumque nunquam *deinde re-*

floriturum

floriturum, Achillea scilicet animositate veraque magnanimitate projicere ne dubiteris,

Ναὶ μα τὸ ὄ σκῆπτρον τὸ μὲν οὔ-
ποτε φύλλα καὶ ὄζους
Φύσει ἔπειδ' ἀμπρῶτα τομὴν ἐν ὄ-
ρεσι λέλοιπεν,
Οὐδ' ἀναθηλήσει, περὶ γὰρ ῥα ἑ χαλ-
κὸς ἔλεψεν
Φύλλα τε καὶ φλοιόν.

Absit ut prospectu tristi reficiam oculos, nisi detur etiam Saracenorum è manibus ereptam in Libertatem vindicare Sanctam Hierusalem, dixisse fertur in Bello sacro Richardus *noster è Principibus Argonautarũ unus à magnanimitate* Corde Leo *nuncupatus, eum in jugum montis unde Civitas sancta subjecta patebat oculis ab*

hoſte tunc temporis occupàta, primus evaſiſſet inter alios Proceres, qui citatis equis ambitioſo certamine contenderent ad præcipiendam tanti ſpectaculi felicitatem alacres, & preſſa Galea triſtis abſtinuit.

O mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ,
Spiritus & quantum ſat erit tua dicere facta,

Glorioſiſſime Domine Chriſte! *quando tu* reſerato Cœlo *deſcendes Equo ſublimis in Albo, vel aureis invectus etiam* Quadrigis, Oculis *Igneo vigore radiantibus & flagrantibus, etſi non* Ore Gladii, *nec fortibus Armis aut fulgentibus, at* Gladio Oris & acutiſſima Romphæa *prodeunte*

terribilis, & Tunica *non Adamantina sed sanguinolenta, non infecta Cocco, sed* Sanguine tincta; *Sponsus elegans & Victor Augustus atque Triumphalis*; *non* Decimo *tantum sicut Bestia, sed* Innumerabili Diademate *redimitus*; *nec in fronte Meretricia Mysterio Stigmaticus inusto*, *sed* Ineffabili Nomine Divino *dubio procul atque fortasse Tetragrámato venerandus* Ὁ Λόγος τοῦ Θεοῦ, καὶ Θεὸς ἦν ὁ Λόγος, & *in veste simul & femore scripto*, Rex Regum Dominusque Dominantium; *Admirabili Satellitio* Militiæ Cœlestis, Albis *etiam Ducique suo concoloribus* Equis insidentis, & Byssinis albis & puris induti *stipatus*, *ut non*

Horridioris, *Armatis ad Bellum Paraſtatis exhibitæ*, *ſed ornatis ad Convivium* Paranymphis *elegantioris*: *Ad quod* invitabit Angelus è Medio Sole, *quaſi Curſoribus illius Equis & Celeribus uſurus*, *Evangeliciſſimumque Præconium Curriculo Divino circumlatus Orbem per univerſum*, *Radio quaſi Solari deſcriptum pronuntiatumque ſparſurus*: Convivium Funebre ſimul & Nuptiale *ſicut initio diximus*, *quod in mundi nempe* Veſperiis, *ante* Magna Comitia Salutis, & Gloriæ Gradus, univerſo *Gregi Candidatorũ tuorũ*, *Sanctitatis &* Martyrii Gratia *præconceſſa* Univerſali, Deſignatis Incœptoribus una

cum Doctoribus *in illa* Facultate, *pleniſſimè Communicandos, à Te tuis exhibebitur.*

Convivium *de quo ſi intelligatur Obſervatio Rabbinica ſuo ſenſu futilis, à vero non abluſerit*, Omnia Fiunt propter Convivium *Paratum* Cœli Filiis & volucribus *omnibus & ſingulis*, è Carnibus *ſolis & omnium* Terræ Filiorum & Beſtiarum *grandiumque pinguiumque* Cœnæ Capite, Bellua *multorum Capitum* Behemoth, Elephante, *Ramoſis elato* Decem Cornibus *et* Duobus Agni *Simulatis*, *Alto Septem Collibus*, *atque in hanc Horam ſaginato*, *nuper in Laqueum Dei ſe induente*, *jamque* Coro-

natu Victima Sacrificio mactata Epuloque sacro consumenda, nescio an ab Archidapifero Comite Palatino (Josephus utinam mea cõnia conjector interpretet) è Carcere squalido diutinæ probationis emergente feliciter, atque in locum dignitatis Avitæ Gradumque cum honoris accessione splendidioris in Imperio reposito, Dei mensis inferendo Pontificalibus in eoque veluti Porco Trojano Purpuratorum Patrum, Romani Græca significatione Cleri Plebisq; monachorum Procerumque Gryllorum incluso Grege universo Circæa φαντασιοποιία in Admirationem Bestiæ stupefacto prorsus atque in harum veneficæ redacto, conculcante vitæ melioris oblatæ

in Evangelio Margaritas atque nulla monitorum Suada vel Angelica nullo carmine divino sanabili, nulla verborum vocali Musica sive Πνευματικῇ, *nulla verborum sive delicatiore* ψηλαφητικῇ, *sive severiore durioreque* Κρουστικῇ *domabili, sed in ipsis etiam Judicii Divini torridissimis Ignibus ustulato, vel sic tamen adhuc in Cœlum* Grunniente Blasphemias: *unà cum* Pseudopropheta *præclaro Custode præclari Gregis, & Musici Chori tam absoni Præcentore mirabili, Regni Bestiani Templique scilicet* ὀργάνῳ ὀργάνων, *& uno* Miraculorum Artifice: *Reservatis intereà mensas ad secundas quasi Delitiis* Piscium *marinis, unà*

cum

cum Muti Chori Duce Dracone Grandi Seniore *potentissimoque* Leviathan. *Ingenti* Balæna Serpente oblongo & Balæna Serpente tortuoso Dracone qui est in mari, *de quo, quod de Issico Sinu Dionysius, accommodatissimè potest intelligi*

Ὡς δὲ Δράκων βλοσύρωπος ἑλίσσεται ἄγκυλος ἕρπων,

ad Formam Ditionis obliquam allusione facta, Hamo Dei *fortissimo potenter extractis,* Gladioque durissimo confectis, & *ad Gustum sapide conditis, utrisque simul in eodem* Ignis Sulphurei Stagno *tandem Aheneo vel Adamantino benè madidis aut etiam probè torrefactis: è fonte veritatis hæc propino tibi, mi Tolneie,*

Pro-

Prophetica pagina Symposiacæ Philologiæ Flores, non è Judaica Fabula, Fæces hauriò Theologiæ Talmudicæ, Lacuna vanitatis, Historica fide non Cabalistica licentia, qua Rabbini nescio quam Metamorphosin exhibere solent, & Anagrammatismum sacræ Scripturæ discipulis suis, hac ipsa in re, nescio quas Epulas in Adventu Messiæ Genti suæ paratas somniantes è saginato Behemoth & opiparè condita carne Leviathan, interpretatione Literali Quando tu Messem tuam *colliges* Aurea Falce *desectam, Messor utique non Spicea* Coronatus, *& Curuli sedi Nubis Augustæ Sublimis insidens ut apponas affluentissimè Convivis tuis è Flo-*

re

re Siliginis *optimo confectum, & suavitate tua suavissima temperatum verè* Martium Panem: *solusque* Torcular Iræ calcabis, *ut exprimas etiam illis* Uvæ Sanguinem purissimum *vinumque delicatissimum*, *adeoque* Tui *celebrabunt in Regno tuo bibentes & comedentes in* Abrahæ *sinu, magnam* Cœnam Dominicam, & Eucharistica *sua Propitiato Patri longè gratissima, tuarum Delitiarum & Hostium suorum* Adipe *felices & medulla saturati.*

Quando tu sicut Imperator olim Urbi quam obsederat in defensione pertinaciori magnanimus ultimo scilicet Excidio penitus evertendam inversa manu minitatus,

ita Superbia magis & Securitate tumidam quam Potentia Magnam Babylonem Τοιαύτην οὖσαν τοιαύτην ποιήσεις, *etiam Ruina magnam: & quod de Roma gloriatus est Augustus ipse,* Sanctam *tuam* Sionem *quam invenies, infirmitate simul ac deformitate* Lateritiam, *restaurans efficies, at non relinques Æternitate simul ac Felicitate* Marmoream *Auream, Gemmeam: custos es pauperis horti, futuri suo tempore divitis: idcirco* Nunc *te* Marmoreum *pro tempore credimus in promissis hisce de quibus* Ἰῶτα *vel unum non perierit, Amen, fidelem & veracem testem, à primo ad imum Alpha* καὶ Ὠμέγα *solus, At tu si fœtura Gregem suppleverit addi-*

tis etiam & in idem Ovile collectis ecclesiæ, Judæis, Aureus esto: castissimo cultu solus à tuis universis & integerrima Sanctitate venerandus.

O mihi tam longæ maneat pars ultima vitæ
Spiritus, & quantum sat erit tua dicere facta,

Christe Domine, Domine Glorioſissime! *Quando nobis è Plebe reliquis interea* Preces *in Templo Sancto* Jejuniis alentibus *& quasi saginantibus* (*Emphasi Tertullianea non eloquentia Tulliana loqui fas erit opinor*) *ut succedant Arma vestra, dabitis hanc Operam Christo militantes, ut hæc illius Auspiciis Armisque vestris omni-*

nò confecta videamus, et Castris in Celebri Campo Martio *positis, etiam vos ô* Sereniſſimi Principes Illuſtriſſimique Magnates, *Ecce Sionei proceſſit Cæſaris Astrum. Etiam vos &*

---Cæſar Magnus ad Altum
Fulminet Euphraten Bello, Hæc
Victorque volentes
Per populos det Jura, *viamque*
affectet Olympo.

Sed quid ego tibi viro ſatis eleganti non deſino garrulus obſtrepere, nimis agreſti Calamo? Quin erubeſce mea tu Semiramis *auſa prodire ſine Calamiſtro tam incompta tantaque Capitis Illuvie deformis, nec hoc contenta quæ volueris hac prodire tenus atque tam inviſa* λογοδιάῤῥοια, *tantoque*

Lin-

Linguæ profluvio vexare Spectatores inciviliſ & tantum non enecare faſtidio, pereat que tua tecum non magna magis exiſtimo quam Maligna Babylon.

Imo Perge, Perge ruſtica Loquacitas & Ruſticitas loquax integram Chartam maculare; quæ non ducet opinor Apollinis Chorum *ut docta, ſed Aget, ita potius auguror,* Cucullum, *piperis, in hoc damnata: audietque meritò,* Blattarum, & Tinearum Epulæ, *non* Delitiæ Muſarum, *nec* Epiſtola, *ſed* Sarcina, *quæ jam vaſta poterit onerare* Plauſtrum totum, *ſed nulla unquam poterit ornare* Faſciculum tuum.

Parce verò, Parce Candidiſſi-

me

me Tolneie: non potui velificari gloriolæ meæ, *qui certè* βεβαρβάρωμαι χρόνιος ὢν ἐν βαρβάροις, *& sepositа per annos duodecim* Latino Stylo; *nec mirum si tam densa rubigine Scabro tamque diuturna desuetudine, Pedarius in consilio Senator, hæc ad te scripserim vel effuderim potius exhaustus quotidianis Operis, interpellatus infinitis negotiis, interclusus omnibus Angustiis ingenii Temporisque, tantumque non Obrutus, appello te, qui conscius ex parte nôsse potes optimè: volui tamen* Amicitiæ Litare tuæ, *vel etiam* Bono *potius, hanc operam dare* Publico.

Neque recusavero Culpæ *re-*

ius etiam Justitiæ satisfacere: Habeas igitur omnium in hisce scriptis erratorum Indicem, Vindicemque meipsum Judice Teste meipso Reum: *Ingens hic Ajax meus in se tandem* Μαστιγοφόρος, *Incumbat in Spongiam: quod defendi non potest, abluí potest, altiore sensu fateor, imo divinitus & pie, sed non absimili dixit Ambrosius: tegi non potest* Septemplici Clypeo *defensus Apologiæ Centuplicis, at expurgari forte Censuris acrioribus & Lituris potest atrioribus; etsi multæ non possunt,*

Una litura potest.

Accipe quinetiam Malorum Iliada *meorum totam, quam longam parva Nuce vilique conclusam, sed*

Arte

Arte minore tamen adhuc & viliore descriptam: Accipe Summam Monitorum, Votorum Verborumque quam nec Poeta nec Orator (audies Ænigma, quo malignior Epistola quæ Salutans *infinito verbosæ Ceremoniæ* Logarithmo, *sed amantissime, confecit Oculú tuú eademq; rursus intricato lapidosæ sententiæ* Labyrintho *cruciabit Ingenium tuum sed levissimè* Valedicens) *et Poeta tamen Extéporalis et pro te ad Thronum Gratiæ æternus Orator, non ut huc usque Laxam in Diluvii Ciceroniani modum fluentem, sed vinctam Numeris ne intercidat ut Nummellis in carcere, sed non Tulliano, nec* Vitale Carmen *utique sine Genio, sed* ἐφήμερον *Ani-*

malculum, nec Dialis ipſe Flamen *ex officio, præfato tibi quidem et Lectori,* Faveto Linguis, *at* Hoc Age *mihi non imperato, duobus obvolutam effero, ſed et offero dedicatam verſiculis, agnoſco metro quampoëltice ſcabro minimeq; ſcito currentibus, ignoſce ſi Rythmo Pathetice ſacro maximeque ſancto gratioribus, Impleat in Patriam redituri* Vela Jehova:

Impleat in Patria Vota Jehova tua.

Ejusdem, Junii 10 1638.

Tuus in noſtro &c.

ſuus in Noſtro Conſervus in Domino, qui hæc
Ex animo totus, Optat, orat, Ominatur,

Johannes Timothei Philadelphus,

Germano-Saxo-Britannus.

Ilnius Inſtauratoris Artium Admirator

Summus, ut Aquila Sublimis:

Veri Conditoris Templi Panſophiæ Amator
Sincerus ut Phœnicis ſimilis:

Boni Conciliatoris Eccleſiarum Æmulator
Sanctus ut Columbæ Simplicis.

Verbo:

Amator Polycarpi Panſophi Comenii:
Æmulator Irenæi Eccleſiaſtici Duræi:
Admirator Chryſoſtomi Organici Verulamii
Bonique Publici ſpes illius effulſerit undecunque
Sititor Aridus, Avidus Eſuritor.
Europæ Potentatibus, Statibus, Magnatibus,
Optimatibus & Senatibus univerſis
λειτουργῶν, à Sacris, à Memoria.

Non invenio vocabulum, ſed facio Analogicum.

Quibus hæc dedicata niſi fuerit ab ipſis Abdicata
Felicitas Vltimi Sæculi,
id eſt, *Aurei*
Denuo Renaſcituri
FINIS.

Aug. 24 1639.
Imprimatur.

THO. WYKES.

Aug. 24 1639.

Imprimatur.

THO. WYKES.

F138964

STC
23305

THE FOLGER SHAKESPEARE LIBRARY



ROLLE.

S2332
D45